70/4091-2

C
K
N
1070
L.S.

SCVLPTVRÆ VETERIS
ADMIRANDA,
SIVE
DELINEATIO VERA
PERFECTISSIMARVM EMINENTISSIMARVM-QVE
STATVARUM,

unà cum artis hujus nobilisſimæ Theoria,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,


DOMINO CAROLO,

Comiti Palat. Rheni, S. Rom. Imp. Archith. &
Electori, Bavariæ Duci, &c. &c.

conſecrata


à

JOACHIMO DE SANDRART,
IN STOCKAV.



NORIMBERGÆ,
Typis Chriſtiani Sigismundi Frobergii, ſumtibus Autoris.
Francofurti, apud Michaëlem & Joh. Fridericum Endteros,
ac Johannem de Sandrart.

Anno clɔ Iɔc LXXX.



SERENISSIME AC POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, DOMINE CLEMENTISSIME:



Audatur exquiſitiſſimis verbis ſtatuarum honor, tanquam peculiare quoddam Majeſtatis publicæ redhoſtimentum: Fortibus ac prudentibus Viris hoc decus tributum. Inter eos facilè primas obtinuerunt *Horatius Cocles*, cui ſtatua in comitio poſita, quod ſolus à ponte ſublicio hoſtes arcuiſſet: *Junius Brutus*, cui in Capitolio, medios inter Reges, quod fortiſſimè regno pepuliſſet Tarquinios: *Cato Major*, cui in æde Salutis, quod Romanorum remp. inclinatam in integrum reſtituiſſet: *Auguſtus Cæſar*, cui in ponte Tiberis & Arimini, quod Flaminiam viam, qua ductурus erat exercitum, ſtatim inſtauraſſet Quot, quæſo, ſtatuas tum Equeſtres tum Curules Palatina regio Servatori Liberatoríque ſuo debebit; quam, inſtar columnæ, violenti Martis furor dejecit, afflixit, ac deturbavit? Majores certè experiundi erunt & ſubeundi labores, quàm quos Sixtus V. in tribus obeliſcis, qui Romæ jacebant, erigendis ſuſceperat. Hoc breve dicam: Rhenus ipſe ſibi ſtatua eſt! Cæterum orbis Chriſtianus mi-

 rificè

rificè Tuam, SANCTISSIME PRINCEPS, religionis curam approbare videtur, quæ minimè fucata, nec, prout dominationi expedit, obtentui ſumta, ceu temporibus ſerviens, aut in oſtentationem compoſita; ſed omnibus veræ pietatis officiis Aulæ in exemplum, & ſcripto Philotheis in documentum teſtata. Ab æquitate, lege, inſtitutis non recedis; jus ſuum nemini eripis; Te ſubditis æquum præbes: Hæret lateri tuo, quisquis acceſſit; finemque ſermoni ſuo cuique pudor facit: Sincerum atque ab omni colluvione doli aut inſidiarum incorruptum pectus ſervas. Porrò nihil illuſtrius ac ſublimius dici, aut excogitari poſſe crediderim, quàm quod ab Arithmeticis & Geometris munitiones concinnè delineatas debita propugnaculorum ſtructura comunire didiciſti. Ne multa; quinque aut ſex columnæ lapideæ, fuſiles, quas olim Carolus Magnus ex Ravenna Italiæ, unà cum aliis columnis, exportari fecit, modò *Ingelhemio*, pòſt *Heidelbergæ* ſpectaculo fuerunt; *Princeps* enim *Palatinus Philipus, eò tranſtulit, ibique in arce eas* (Frehero teſte) *in perpetuam artis fuſoriæ memoriam erexit.* Ecquando ſtatuariam Principes eximia non dilexerunt charitate? Æneum ſtare, magnum eſſe videtur generoſis Viris; ſed *Tibi*, DOMINE CLEMENTISSIME, *quia bonus es, ac rectè imperas* (quod Mæcenas dixit Auguſto) *univerſa terra templum erit, pro delubris omnes urbes; omnes homines pro ſtatuis: Quorum in animis ſemper cum gloria reſidebis.* Nihilo tamen minus clienti mihi (ceu ſpes eſt) dabis, ut artium Propugnatori, in Cujus clientela ſunt, has omnes ſtatuas ad perenne teſtimonium non ponam, ſed denuntiem; & ritu veterum quoq; adſcribam, PATRONO, ob ipſum patrocinium: Quia ad poſteritatis memoriam pertinere arbitror, ut Principem noſtra ætate in plurimis admirandum diuturnitas illarum tradat animis poſterorum. Ad ultimum vive, PRINCEPS GLORIOSISSIME, rebus ſupra votum fluentibus; Electoratum feliciter capeſſe, guberna, moderare; & hoc, quicquid eſt libri, ad pedes Tuos humillima veneratione devolvi, Celſiſſimóq; Serenitatis Tuæ nomine, à malorum injuriis ſecurum eſſe, clementiſſimè patere.

Part. II. Orig. Palat. c. 11.

Norimbergæ, die 12. Octobr. anno Gratiæ cIↃ IↃc LXXX.

SERENISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ

ſubjectiſſimus ac devotiſſimus
JOACHIMVS DE SANDRART.

AD LECTORES.



VA Autor Nobilisſimus Germanico ſermone tractavit, ea Latinis literis mandavi, & Statuariam hanc Latinè loqui primus inſtitui; ſecutus fideliter tam Græcos quàm Romanos, tam veteres quam recentes fabularum interpretes; ex quibus hæc, quæ diſperſa erant, initiò cogebantur: Invita & recuſantia violentiùs transferre haud ſuſtinui. Rarò appinxi aliquid novi; ſi tamen nonnulla his admiſcui, rarenter id factum eſt: Erant enim præclara, quæ auctoribus ſuis jure ac merito accepta retuli. Si omnes lectores una mente non conſentiant, neque de cæteris judicium Autoris & horum par atq; unum fuerit, amicam diſſenſionem toleranter feremus: Nec verò affectanda eſſe ſemper elata & excelſa *autumavi*; nam ut in pictura *(inquit Plinius)* lumen non alia res magis, quàm umbra commendat; ita orationem tam ſummittere, quam attollere decet. *Sed quid ego hæc doctiſſimis viris? De cætero ſummi laboris, ſummæq; induſtriæ Senex, prorſus intentus cuncta parare, hoc ſedulò faciebat, ut maxima cura ſtudióq; Statuas illas conquireret, à Græcis pariter ac Romanis è marmore ſcalptas, aut ex ære factas: Has enim Ipſe vel Romæ potiſſimum, vel circa Romam, exquiſitè cogitatéq; delineavit; aut noviter inventas aliorum manu adornavit, & ab optimis ætatis noſtræ cælatoribꝰ æri curavit incidi accuratiſſimè. Nec ſine impendio nuper, & quid diconuper? immò verò modò, ac planè paullo inventas in eundem hunc numerũ congregavit, acceſſionem faciens haud pœnitendam. Ejuscemodi eſt illa* JOVIS OLYMPII, *cujus ſingularem & admirandam artem Vir in ſtudiis doctrinæ multi atq; celebrati nominis Spanhemius,* ὁ πάνυ, *ex aureo Dionis ore laudavit his verbis:* Meminiſti fortè apud Dionem illum, ut voluptatem ex conſpectu ſtatuæ Jovis Olympii ſuaviter alicubi extollat; ut non homines ſolùm, ſed bruta etiam illius ſpectaculo adfici, immò adflictis malorum oblivionem conciliari ſtatuat: illámque virtutem incredibilem non auro, vel ebori, ex quibus conſtabat illud Phidiæ miraculum; ſed divinæ cujusdam artis præſtantiæ continuò adſcribat. *Quid eſt præterea? nihil ſanè, niſi illud, ut Autor ſemper in laude verſatus, & circumfluens gloria, more illorum, qui liberalium artium cognitione cultuq; celebres fuêre, ſuæ etiam induſtriæ præmia in ſtatuis conſequatur; quas* literæ dederant, ſi trabeæ non dediſſent. *Verùm is hujus quidem uſura gloriæ ita temperavit animum, ut de aliorum laude magis ſolicitus, ALBERTI DVRERI, poſt annos centum & quinquaginta ſepulchrum æreo exornare monumento; & laurea, gratiſſima buſtis janitrice, oſſa Illius coronare decreverit. An illa magnis laboribus parta amiſit longo intervallo viriditatem? Epigraphe, tanto artifice digna:*

FABITVR HOC ALIQVIS, MEA SEMPER GLORIA VIVET!

Plin. lib. III. epiſt. 13.

Spanh. Diſſ. I. de Præſt. & uſu num. p. 32.

Sidon. lib. V. epiſt. 5.

Quod ſupereſt, rogo, *Lectores doctiſſimi*, ut pari *integritate*, ſi qua exiſtimabitis addenda, commutanda, omittenda indicetis: *Illi* difficile eſt hucusque, animum intendere in *labore*; difficile & Vobis. Sed tamen ut ſculptorem, ut pictorem, qui filii imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet: Ita *Noſtrum* quoque formate, regite; qui non fragilem & caducam, ſed immortalem *ingenii ſui* effigiem conatur efficere; quæ hoc diuturnior erit, quò verior, melior, abſolutior fuerit. *Quod Plinius Spurinnæ ſuo & Corcciæ de filio, triumphali ſtatua donato, quondam ſcripſerat. Favete ergò, & legite.*

Plin. lib. III. ep. 10

C. ARNOLDVS.

CAP.

De

REGVLIS STATVARIÆ PROLVDIVM.

Statuariæ principia: *Statuæ, ex* utraque Academia *collectæ*: *Autoris* propoſitum: *Errores veterum*: *Statuæ* ſelectiores: *Opera* Græcorum, *ex albo marmore*: *Artifices*, *circa* Alexandri M. tempora: *Alexandri imago*, ex Atho monte: *Antiquitas ſtatuis* falſò *denegata*: Homeri imago *antiquiſſima*: Philoſophorum *ac* Poëtarum *ſtatuæ*: Homerici nummi: *Vultus ac habitus ſtatuarum verus*: *Nummi ex ſtatuis deſumti*: Gran maniera Greca.

Statuariæ principia.

VSu periti pulchrè aſſeverant, ſempérque hoc liquidò confirmant, in addiſcendis primarum linearum principiis, in ſtatuaria item atque pictoria, nec non aliis ſcientiis, nullam certiorem meliorémque docendi methodum dari, quàm quæ in antiquiſſimis ſtatuis, imaginibus, & hiſtoriis, Romæ ut plurimùm occurrentibus, reperitur atque oſtenditur. Ex his enim hodienum omnis Europa diligenter edocetur; hæ tibi, quid facias, definiunt; te inſtituunt, tibi præcepta dant: Quid multis? alia ſibi ratione viam munire, ad artem hanc addiſcendam, vel alias huic præferre, nullus mortalium poteſt. Quamobrem in hac ipſa Academia Sculpturam proprio hoc niti fundamento, haud inconſultum fore arbitratus ſum; ſelectis, nobilioribus ex utraque illius parte ſtatuis, aliísque rarioribus velut ex abundanti ſuperadditis: Vt univerſæ ac ſingulæ expenderentur quaſi ad regulam & libellam; nec (dicente Vitruvio) amuſſium deſideraretur.

Statuæ, ex utraq; Academia, collectæ.

Autoris propoſitum.

Ad me ipſum verò quod attinet, nihil magis in votis habui, quàm ut alius operam meam antevertendo, hos labores ac ſumtus in ſe recepiſſet; mihíque ingens hoc onus præripuiſſet: Quoniam verò pauciſſima ad imitamen antiquitatis exempla in æneis figuris, vel etiam lineamentis repertu dantur; ſæpè queſtus ſum, quod plerique (fidem oculorum teſtor) in tam gravi nec indigna re, chartas tantùm collutulaverint, viliſſimísque nugis, ceu inexperti ſolent, undique repleverint: Dum quivis ferè unus, pro ingenii ſui modulo, tam altam ſublimitatem tam negligenter oculis noſtris ſubjecit, & à recto tramite prorſus deviavit; parum ſcilicet curans, quàm incongruo & inconvenienti uſu antiquiſſimas optimásque ſtatuas exhiberet; formam, menſuram, ordinem permutaret; neceſſarium diſcrimen, externámque perfectionem haud obſervaret; neglectáque artis proprietate, aberraret facillimè. Nonnulli in duritie rigidorum muſculorum adeò deflexerunt, ut delineationes aut etiam æri inciſæ imagines eorundem, cum ipſis (ceu vocant) originalibus collatæ, planè diſpares diverſæque eſſe videantur: Secuti enim iſti videntur ſimplicitatem præceptorum ſuorum, neglecta omni antiquitate, cujus veſtigia anxio pede premere debuiſſent. Quo tandem factum eſt, ut longiùs a Roma diſſiti, antiquitatis deſiderio, velut imperiti in errorem inducerentur; &

Errores veterum.

à via

à via veritatis excuſſi, nec minora induſtriæ quàm temporis detrimenta feciſſe deprehenderunt.

Quapropter ut magna ac præclara Germanorum proſapia, ab illis Originibus, quas Vrbs habet, longè disjuncta, nec ſumtibus itinerum ferendis ſemper habilis, vera habeat, queis utatur, fundamenta; id unicè egi, ut ſelectiores, &, ſtudio meo maximè inſervientes ſtatuas, profuſos ſumtus faciens, manu & opera celeberrimorum ſculptorum, æri (quantum impendio diligentiáque poterant) incidi curarem. Et quanquam unus & item alter, exigua ornatus ſcientia, ſcalpro haud in altum ſurrexerit; integræ tamen ac perfectæ delineationi fides habenda eſt. *Statuæ ſelectiores.*

Commemorabimus hoc loco antiquitates excellentiſſimas, quas Græci ut plurimum Italíque, ex albo marmore, fecerunt: Ex his verò Græcorum gloria eminet atque præfulget, vel ipſa Antiquitatum Academia, quæ Romæ eſt, teſte; cum qua ſæpiùs in collocutionem veni, & eminentiam illam *La gran maniera Greca* vocari, ſedulò obſervavi. *Græcorum opera, ex albo marmore.*

Quid? quod ante Alexandri tempora, & ætate ipſius, inſignia opera, ac præclari artifices extitere, Statuariæ, Architecturæ, Picturæque peritiſſimi: Cauſſas deſideranti binas indicamus: Primò, mirifica & incredibilia temporum eorundem monumenta, marmoreæ nimirum ſtatuæ, atque in his *Amyntæ* ipſius nec non *Philippi,* velut majorum Alexandri, item numiſmata hodiéque conſpicimus; neque ingens artificum in diverſis Græciæ urbibus excellentiſſimorum numerus nos latet: Deinde, ipſis Alexandri temporibus, ars illa non demum inchoata, ſed perfecta eò creverat; ut jam magnitudine ſua laboraret. Tunc enim plurimæ manu *Apellis* depictæ tabulæ, & *Lyſippi* cælo dolatæ ſtatuæ, perfectionis potiùs, quàm antiquitatis laude nobiles hinc inde ſpectabantur. Nec facilè quis rudem atque inertem ſtatuarium vel architectum dixerit, qui Alexandri imaginem ex monte Atho ita formare cer tò pollicitus erat, ut in dextra oppidum & 10000. ſubditorum teneret; ex ſiniſtra autem magnum ac vehemens flumen per ſaxa decurreret, & agros irrigaret. Quibus argumentis, & quaſi rerum notis utor ad probandum. *Artifices circa Alexandri M. tempora.* *Imago Alexandri, ex Atho monte.*

Et quamvis alii vehementer contendere perſeverent, antiquas nempe ſtatuas tempore eorum, quas exhibebant, ideò haud ſcalptas fuiſſe; quia ſubinde retractabantur, & ex inſtauratione redintegrabantur: Stat tamen ſententia, illas priſcis temporibus, ob excellentem pulchritudinem ſuam, politiſſima arte perfectas extitiſſe. Nemo certè inficias ibit, priſca hominum ætate pulcherrimas plurimásque ſurrexiſſe ſtatuas; ſiquidem *Horatius Cocles* & *Clœlia* Romæ, imperante tunc Rege ſeptimo, ac priusquam ibi cœpiſſet Reſpublica, capita ſua extulere: Livium Pliniúmque teſtes facio, qui ſatis & abundè de his ſcripſerunt. *Antiquitas ſtatuis falsò denegata*

Ad Homerum autem, veramq; ipſius imaginem quod attinet, dicant, queis libido eſt, artis hujus tunc nullam, vel exiguam prorſus notitiam in uſu fuiſſe; & poſt obitum ejus, longo temporum progreſſu, effigiem illius ex ingenio fraudatorum fictam ac compoſitam eſſe: Sed ratione Plinii ſententiam ſuam firmare ſuſtinent, qui ſæpius erravit ac falſus fuit. Neminem, ut arbitror, latet, fixum eſſe illud, à quo in cætera probationes noſtræ exeunt, picturam æquè ac ſtatuariam jam diu ante Homeri tempora confectam quaſi atque abſolutam fuiſſe. Et quanquam fortunæ inops, ceu plures Philoſophi ac Poëtæ celeberrimi, nullo aut perquam parvo ære cenſeretur; nihilo tamen minus eis pretioſæ ſtatuæ ponebantur, & monetæ cudebantur; quæ hodienum in theatris rerum artificialium ex marmore, metallis, & gemmis inveniuntur: Imprimis autem Homeri ſtatua, humanæ formæ ſimilis, ex Græco marmore, inter rariora Principis Juſtiniani (cujus profectò laus major eſt, quàm ut manu mea attentari debeat) cimelia id ipſum ſatis teſtatur. Bre- *Homeri imago antiquiſſima.* *Philoſophorum ac Poëtarum ſtatuæ.*

vi ut me expediam verbo, viris illuſtribus & ſimulacra, & altaria,& templa dicabantur. Ariſtoteles quoque nummorum Homericorum meminit; unde colligas licet, iſtos vel Alexandro antiquiores fuiſſe, quoniam hujus magiſter Homerus fuerat.

Nummi Homerici.

Nec à vero abludit, veterrimas ſtatuas non pro fingentium lubitu, decoris ergo, factas fuiſſe; ſed eas potius, quaſi ad vivum vultus ac habitus illuſtrium expreſſiſſe. Cum expugnata eſſet Corinthus, tria ſtatuarum millia Romam devehebantur; ex quibus Romani multa didicere, quæ Græcis accepta ferre debent: Illas enim, quæ Corinthi factæ erant, præ cæteris obſervarunt, ceu normam, & regulam, & præſcriptionem artis hujus conſtituentes. Quis eſt, inquam, qui dubitare debeat, ultrò id ipſum, queis pectus ſapit, fatentibus, quod *Lycurgi*, *Epaminondæ*, *Themiſtoclis*, *Solonis*, *Ariſtidis*, *Platonis*, *Miltiadis*, aliorúmque ſtatuæ, ipſis tunc florentibus, in nominis æternaturi memoriam ſtatutæ fuerint; quarum varias, adhuc Romæ, nec non in Anglia, Gallia, & Monachii admiramur. Vidi & ipſe ac notavi plurima hujuscemodi ſigna, quæ in clinodiis, gemmis, achate, chriſtallo atque carniolis, potiores autem in nummis conſpiciebantur. Hinc facilis conjectura eſt, nec vulgare rei hujus indicium, præſtantiſſimos tunc vixiſſe artifices, quoniam in tam pretioſis materiis artem atque induſtriam ſuam poſteris exhibuerunt; ne labor ille inglorius eſſet.


Vultus ac habitus ſtatuarum vetus.

Cæterum haud nos fallit opinio, quod nummi ex ſtatuis nec ſtatuæ ex nummis fuerint expreſſæ: Hac ipſa enim occaſione, effigies ſimul ac ſtatuæ univerſis ac ſingulis innoteſcebant; datáque opera nummi ſignabantur, ut quivis unus imagines illuſtrium minore pretio ſibi comparare poſſet. Oculis quoque ac manibus meis uſurpavi *Hectoris* & *Achillis* numiſmata, quorum facies ex eorundem ſtatuis proculdubio petita, exprimebantur.

Nummi ex ſtatuis deſumti, nec vice verſa.

Hanc ipſam igitur artem, regnante Alexandro, magna cepiſſe incrementa, velut omnibus ſuis numeris & partibus completam, opera loquuntur Romæ celeberrima; quorum *(gran maniera Greca)* majorem Græcorum formulam ut auxio pede premanus,neceſſe eſt: Hanc intueamur,hanc ipſam ſequamur! *Quantum dignitatis*, inquit Val. Maximus, *à Rege Alexandro tributum arti exiſtimamus, qui ſe pingi ab uno Apelle, & fingi à Lyſippo tantummodò voluit.* Qua re motus, nullam vel ſtatuam, vel imaginem in hoc opere extare volui, quæ non dextera artificis perfecta, Romæ adhuc, inter præclara Procerum cimelia ſervatur: Judica de his Lector, fruere, ac imitare.

Gran maniera Greca.



CAP.

CAP. II.

Statuariæ definitio: *Imaginis* vita & actiones: *Ejus* veſtes: *Nec non* barbæ, *cum* capillis: *Imago ex omni parte* perfecta: *Imaginum* altitudo *ac longinquitas* audacior: *Magnitudo* inſolita: *Item* diviſio ac menſura *ſimulacri:* Oculi *menſura* optima.

VT pertinentibus ad Statuariam principiis ordiamur, brevi hanc circumſcribemus, & propriam ejus vim definitione declarabimus: Statuaria ars eſt, quæ nimiam reſecando & auferendo materiam, informi ligno, lapidi, vel oſſi, aut metallo expetitam formam ac ſpeciem præbet. Imprimis verò id obſervatione dignum eſt, quod omnes figuræ, & imagines, ſive exciſæ, ſive ſcalptæ, ſive flatæ aut fuſæ fuerint, rotundum corpus neceſſariò requirant; ex quo dein artifex, ſingulari induſtria, partes membrorum producit atque perficit. *Statuariæ definitio.*

Præterea is mente prius concipere debet, vel judicium ſuum, vel exempla ac formulas aliorum ſecutus, quàm rem ipſam inchoet, aut præſtet: Velut ſuperbum ac turgidum, vel humilem, aut hilarem triſtemve hominem; aut quicquid ipſi videbitur: Quoniam omnes ac ſinguli alios geſtus, mores ac motus requirunt. Super hæc, dum hæ ſpecies in mente illius inſident, affectus, & ætatem, & alias proprietates penſiculatiùs æſtimare debet; ut imago, quaſi primo intuitu, ipſa loquatur, quid ſibi velit, & quid ſignificet. Adhæc omnia conſonare ſitu membra debent, ut pariter æqualitérque reſpondeant: Ne crura ſcilicet longiora ſint, ne craſſius caput, aut breviora brachia; ſed diſtinctè membratimque tractanda ſunt omnia, ut à capite usque ad calcem nihil deſideretur. Si *Senem* finxeris, & brachia & crura, & manus & pedes, & reliqua membrorum ſeries, incurvum, macilentum, labiis demiſſum, annis ac viribus defectiſſimum hominem; nec non muſculos, nervos ac venas micantes, ſuo loco, decenter indicare opus eſt: Si *juvenilem* vultum formare velis, figuræ omnes rotundæ, glabræ, teneræ ac gratæ requiruntur. Verbo: cuncta ſimulacrorum membra ratione generis, ætatis ac naturæ ut concordent inter ſe, neceſſe eſt, in ſingulis partibus: Et ſtatuarius comprehendere animo id omne debet, quod facturus eſt; ut cunctas proprietates, & quæ conſequuntur, ritu viventium exprimat. *Imaginis vita & actiones.*

Vt ſimulacrum benè veſtitum ſit, modus tenendus erit in ipſa veſte, ne valdè tenuis ac ſicca (ut more artificum loquar) nec nimis aſpera ac dura, ad inſtar lapidis videatur: Sed corpus ita plicis amicire ſtudebit, ut nuditas ejus interdum ſub illis agnoſcatur; nonnunquam & artificiolè tegatur; ſine duritie tamen, quæ membra imaginis deturpat. Hæc quidem ad artem pictoriam attinent; quoniam verò priſca ac venerabilis Antiquitas rem veſtiariam, in ipſis ſtatuis ab artificibus obſervandam, velut intenſo digito, ad oculum nobis oſtendit; nec melius quicquam in exemplum legi poteſt: Ob ulteriorem artis illius explanationem antiquas *Minervæ, Floræ, Cleopatræ, Sibyllæ Cumanæ*, aliarumque ſtatuas nobiliſſimas, ceu veræ eruditionis magiſtras, adhibere ſuſtinui. *Veſtitus imaginis.*

Barbæ cũ capillis. De capillo ſimul ac barba nunc dicendum: Crines ingenio ſuo flexi, ingenti diligentia, in criſpos cincinnos & gradus molliter formari debent; quantum per ſcalpri lenitatem licet: Cùm verò ſtatuarii naturam arte ſua perficere haud queant, hanc ipſam ornatui poſthabendam autumo. Quodſi veſtitæ imagines manibus pedibúsque indigeant, membrorum dignitate opus ſuum artifex porrò cohoneſtabit.

Imago, ex omni parte perfecta. Super hæc, quoniam ſimulacra undiqueverſum, & quaſi in orbem contuemur, in facie pariter ac in tergo æqualis proportio atque perfectio tenenda erit; ita ut circumſpecta induſtria deprehendamus ſingula ritè diſpoſita, quæ concinnè ſibi reſpondeant: Delineatio recta ſit, actio ornata, rationis pariter ac judicii certamen emicet; ne artifex laude ingenii ſui deſtituatur. Quid multis? Elevatæ, ceu vocant, atque depictæ imagines mentem potius, quam manum poſtulant.

Imaginum altitudo & longinquitas audacior. Simulacra, in excelſo & longinquo loco poſita, quoniam ſingularis eorundem puritas haud obſervatur, more veterum, rudiore ſcalpro perfici queunt: Dummodo elegans membrorum forma, cumprimis autem manuum, pedum, plicarúmque in veſtibus exprimatur; è quibus de artificis ingenio judicium meritò fertur. Quamobrem ſtatuæ & marmoreæ & æreæ, eminus conſpiciendæ, audaci manu dolari, & animoſiùs effici debent; ne tamen vel ex candore marmoris, vel æris nigredine arti quidquam decedat: Quoniam locorum diſtantia eam adjuvat, atque commendat. Quæ obſervatio in rotundis pariter ac planis veterum imaginibus, potiſſimum verò in arcubus triumphalibus, columnis pariter ac portis, Romæ; nec non in hodiernis monumentis, certè in celeberrima *S. Andreæ imagine*, quæ in S. Petri æde emicat, & *Quenoiſium* magiſtrum indicat, valdè conſpicua eſt.

Imaginum magnitudo inſolita. Super hæc notamus, imaginem ſive ſtatuam in ſublimiore loco ponendam, uno vel binis capitibus celſiorem laudari; quando ſcilicet inferius ſpatium minus eſt, quàm ut ſuſpicere illam queamus. Rationem ejus deſideras? eſt in proclivi: Quoniam illud ſimulacrum ob decurtatum inferiùs ſtantis ac ſuſpicientis viſum, ex oculis quaſi elabitur; ſed elongando ad rectam proportionem reducitur; ne ſcilicet pumilio vel homullus aliquis eſſe videatur. Cui verò modus hic diſplicuerit, is membra extenuet ſaltem, quæ gracilitate ſua idem efficient.

Diviſio & menſura imaginis. Solent autem ſtatuarii figuras ſuas capitum novem longitudine fabricari; ipſúmque ſimulacrum præcipuè in partes octo dividitur; ubi jugulum & collum una cum pedis altitudine novam quaſi partem conſtituunt: Partes enim duas conficiunt pedes, totidem genua usque ad virilem ſexum; corpus ipſum usq; ad cordis ſcrobiculum dat tertiam; à mento usq; ad frontem numeramus unam, unámque jugulum & nodoſa pedis vertebra, ad ſoleam usque, præbebunt: Ubi brachia axillis affixa, usque ad flexuram brachii intuemur, utrobique capitis unius; & brachia usque ad flexuram manus trium capitum menſuram implent. Quodſi autem homo aliquis brachia duo extendat, extenſio iſta longitudinem illius facilè æquabit. Super hæc, quia proportio hominis diverſa & inæqualis eſt, figuræ aliquot variarum proportionum, ad menſuræ ſimul ac ſexus diſcrepantiam attinentium, hoc loco adduntur; quas ut plurimum in artificioſiſſimis celeberrimisque ſtatuis Romæ obſervavi, & earundem diſcrimina tum formæ tum menſuræ diligenter notavi.

Oculi menſuræ optimæ. Oculorum verò judicium pro ipſa regula habeamus, neceſſe eſt: Licet enim ſimulacri menſura juſta ſit, oculis tamen judicantium diſplicuerit; certè deſpicietur. Quamobrem affirmare ſuſtineo, quamvis menſuræ beneficio

figuræ

figuræ in ordinem ac proportionem redigantur; nihilo tamen minus oculo ſimul ac ratione opus eſſe: Quibus in conſilium adhibitis, opus illud proportionem, gratiam, delineationem ac perfectionem accipiet; ut laudem ratione dignam mereatur. Hæ ipſæ figuræ aliàs quidem *rotundæ* appellantur, quia ex omni parte ac latere conſpici queunt; ad inſtar hominis, quando obvertitur; à quo etiam illæ peti ac perſpici debent.

Certiſſimam igitur viam ingredietur artifex, ſi ſequentes ſtatuas, *Laocoontis* nimirum, & *Antinoi, Fauni, Herculis, Apollinis, Veneris, trium Gratiarum*, cæterásque circumſpecta cura intueatur penitiùs, ac velut exemplar antiquæ artis ſedulò imitetur.

CAP. III.

De STATVARIÆ FORMIS, *Modellen* vulgò nuncupatis.

Formæ *ex cera, argilla, vel gypſo:* *Ceræ* præparatio: *Cera* colorata: *Formæ* majores *ex argilla*: *Imagini* conveniens labor: Errorum, *à ſtatuariis commiſſorum* cauſſa: *Statuarum* politio.

Formæ ex cera, argilla, vel gypſo.

SOlent ſtatuarii, ſtatuam è marmore ſcitè perfecturi, primò modulum, ſive formam præparare; quam oculis diligenter obſervant: Hujus magnitudo dimidium brachii haud excedit. Fieri autem hanc ſcias è terra, vel argilla, cera, aut gypſo; quoniam materiæ iſtæ acceptam imaginem ſive figuram tenent. Deinde juxta hanc formam, magnitudinem & altitudinem ſaxi, ad opus perficiendum data opera exciſi, peræqua proportione metiuntur; negotium omne hoc modo inſtituitur:

Ceræ præparatio.

Primò, ut ceram emolliant, cum ſevo, terebintho, & atra pice eandem miſcent; quò lenis, attrahens, ac nigra fiat: Dein manibus extenſa & elaborata, atque in locum ſuum recondita, indureſcit. Quodſi colores ejus variare velis, pro pice farinam tegulariam, ſimilémve tincturam rubram adhibe. Id verò maximè notandum, colores prius terendos, & cum calente ac fluida cera miſcendos eſſe: Ex qua monetas etiam & alias figuras fingere licebit. Colores pariter ac cera ſi terebinthi beneficio probè coagulentur, manuum calore in globulos facilè rediguntur; è quibus præterea elegantes, teneras, ſubtiles, nec non craſſas magnasq; imagines formant, & ſive minoribus lignis, aut ferreis etiam filamentis ita affigunt atque connectunt, ut ſingula membra flectere ac movere queant.

Cera colorata.

Formæ majores ex argilla.

Haud aliter lutum vel argillam tractant, atque retractant; ex qua majores modulos ſive formas, ad inſtar ſaxi, effingunt; ceu magnitudo ſtatuarum illas requirit, quæ in marmor transferendæ ſunt. Ne verò terra, rimis atque

fiſſuris diſſiliat, neque ex argilla muti hominis ſtructura rurſus concidat, paleas & ſetas porcorum, vel equorum pilos immittunt; quorum mixtione argilla quaſi colligatur atque conſtringitur. Poſtea linteo vel papyro figuras iſtas diligenter muniunt, & vinculis conſtringunt, ſuperaddentes ſemper argillam, donec in majore forma proportio minoris moduli nudè ac planè conſpiciatur. Simulacro in tantum compoſito, amictus ei paratur è craſſiore ac rudi linteo; vel tenui interdum, ſi operis ſubtilitas id requirat: Tunc lutum in aqua maceratur, & imago ſenſim ſine ſenſu linteo incingitur; inque ſeriemplicarum ritè componitur, uti proportio illius poſtulat. Poſtea marmor experiuntur, quod ubi dolatum in quadrum fuerit, in ipſam imaginis ſtaturam, plenámque hujus magnitudinem probè dividitur; juxta membrorum ordinem, quæ (ceu pedes ac manus,) extenduntur longiùs: Illa dimenſa atque deſcripta carbone ſunt omnia. Poſtquam igitur dimenſio ſaxi quadrati finita eſt, dolare quidem incipiunt; ſed ita tamen, ut eadem menſura rurſus iterúmque repetatur, ſempérque à forma ad ſaxum oculus revertatur; ne quid ex illa pereat. Hic itaque circumſpecta (quod dicitur) cura ſimulacrum cognoſcere, operæ pretium eſt; donec ad ſimilitudinem figuræ propius accedat, atque conveniat. Qui verò temerè & inexplorate ſaxum à fronte & à tergo lacerant, idque imperitiſſimè deturpant; non habent poſtea, unde defectum ſuppleant: Nullus enim ſupereſt locus, quo eundem referre queant, ipſi, materia nimis detruncata, ludibrium artis ſuæ facti. Haud rarò etiam fieri amat, ut particulis turpiter agglutinatis ingens opus de honeſtent.

Imagini congruens labor.

Errorum, à ſtatuariis commiſſorum, cauſſa.

Meliores verò ſtatuarii, queis nimirum pectus ſapit, primò marmor ſingulari quodam inſtrumento, quod *Subbie* vocant, aptè dimetiuntur, & quicquid aſperum eſt, eodem amoliuntur; deinde alio corrotundant, poſtremò ſubtiliore informant, nervos, venas, capillos, aliáque hominis lineamenta ſummo exprimentes artificio. Ad ultimum, ſi imaginem iratam, vel mitem, trucem vel humanam, amantem, triſtem aut hilarem, piam vel impiam effingere animus ſit; teneris & acutis limis, aridáque pumice, aliſque commodioribus inſtrumentis affectus illos ita exprimunt, ac ſi frontibus ſaxorum eſſent inſcripta.

Politio ſtatuarum



CAP.

For study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections - Free copy for

CAP. IV. ET VLTIMVM,

De

PLANIS IMAGINIBUS.

Simæ *imagines*, Baſſo rilievo *dictæ*: Primus *collocandi modus*: alter & tertius: *Statuarum antiquarum* uſus: Cœcus *earundem explorator*, Michaël Angelus: *Auctoris* ſtudium *officiúmque*.



Magines, à ſculptoribus ſimul ac ſtatuariis *Baſſo rilievo* dictas, majores noſtri ornatus gratia ingeniis ſuis excogitarunt, quibus murorum planitiem, imprimis verò arcus triumphales præclarè honeſtarunt: Quoniam ſimulacra, non niſi rotundo ambitu conſpicua, liberam ac patentem aream poſtulant, nec in muris commodè exhiberi queunt. *Planæ imagines, Baſſo rilievo* dictæ.

Statuaria hæc, inſtar picturæ, nobiliores perſonas primore loco cenſens, omnibus anteponit; quas reliquæ, recto judicio permixtæ, velut ex ordine ſubſequuntur. *Primus collocandi modus.*

Cæterum ut hominis viſus parum fallatur, poſteriores figuras longè humiliores exhibent, planis quaſi capitibus; itémque ædes ac regiones, quæ eminus velut ex oculis noſtris elapſæ, & viſum noſtrum effugientes, ſenſim decreſcunt. Hanc autem veteres egregiè obſervarunt, dum fugitivas (liceat ſic appellare) figuras tanta ingeniorum ſolertia expreſſerunt, ut præter exiguam pedum fugientium particulam, oculis aſſequi nil liceret: Cum alii contra, hac ipſa tempeſtate, longè audaciores facti, tenuiores perſonas mediocriter elevatas, digniores verò in ipſa planitie conſtituerint. Hinc naturalis illa & neceſſaria rerum æquè ac perſonarum conſequentia efficit, iſtas in fuga ſe convertentes pedes pedibus reliquarum junxiſſe; quod inſanum artis vitium eſt, & ingens judicii error: Cujusmodi plures etiam Romæ, ad *S. Johannis*, & alibi locorum videri adhuc queunt.

Modus alter mediæ, ceu vocant, elevationis priore humilior eſt, & plana veluti via perficitur, ad exhibenda conclavia, diætas, regiones, alia: Quod artificium in *S. Laurentii* templo, *Florentiæ*, aliisque ſimilibus *Donati* operibus, apparet: qui ſummo judicio omnem humanam artem pariter ac fidem ſuperaſſe creditur. *Alter collocandi modus.*

Tertius modus ad poſitum delineationémque figurarum attinet, valdè quidem depreſſus, ſed ſingulari judicio, nec vulgari gratia uſus: Siquidem omne coactum naturæ pariter ac arti inimicum, cum ſummo dedecore conjunctum eſt; quod vitio verti ſolet. In hac arte *Donatus* longè cæteris excelluit, multáque hujuscemodi vaſa Aretina, nec non æreæ monetæ, diu *Tertius collocandi modus.*

ſerva-

ſervabantur. Poſtremò mallei beneficio neceſſariæ figuræ elici & juvari facilè queunt.

Statuarum antiquarum uſus.

Vlteriorem explanationem, magísque perſpicuam eorum, quæ à nobis hactenus dicta ſunt, illuſtrationem deſiderantibus, ita ut quaſi ad oculum varia demonſtrentur corpora, horúmque proprietates, ſexus, modi, ſtatus, ætates, membrorum ac muſculorum forma, undique apta atque perfecta, omnibúsque ſuis numeris & partibus expleta conſiderentur, id inſuper conſilii damus, ut penitiùs Romæ intueantur antiquiſſimas ex albo marmore ſtatuas; potiſſimè autem in horto Pontificis, *Belvedere* dicto, aliísque amœnitatum mæandris; ubi diutiùs, quàm pueri in ſchola, ſudamus; & ſemper diſcimus, quod neſcimus: Experientia edoctus teſtis ego ſum, qui ſe non opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe ſed egiſſe, dicit. Idem egére olim ante me, quibus ars curæ cordíque fuit: Omnibus his rebus antecellens *Michaël Angelus* licet oculis, ob gravem ſenectam, captus, nec ad labores idoneus, tamen in deliciis animi atque delectamentis habuit, ut ad figuras illas ſæpè deduceretur: Quid factum in tempore, & loco? Blanda manu palpavit eas, ob eximiam, quam benè noverat, perfectionem, à ſummo usque ad imum, vice pari in orbem circumactus, brachiis præterea complexus, oſculatusque. Pari etiam amore *Raphaël* illas uberrimè proſecutus eſt. O felices igitur, ac fortunatos terrarum iſtarum incolas, qui præclara hæc veræ antiquitatis ſtudia quotidiè oculis ſuis uſurpant! Homines contra longinqui & alienigenæ, inopia earundem preſſi, quod admirentur, non habent: Quorum infelicitas meritò deploranda eſt, quia omnis occaſio ac facultas ipſos deſtituit.

Mich. Angelus, cœcus illarum explorator.

Autoris ſtudium, officiúmq;

Quapropter ut abſentibus ſimul inſervirem, & deſiderio ipſorum apparerem; ſtatuas ea repræſentare diligentia ſuſtinui, qua nec rariores noveram meliores ve ab aliis inveniri, vel ab optimis quoque artificibus dari poſſe, haud ignorabam. Sed de Statuaria ſatis eſt, affatim prorſus: Næ tu propediem, Lector, ubi *Sculpturæ veteris Admiranda* hæc videris, iſtius obſaturabere!



VIR-

A



I. de Sundrart del.

Raef. Collin Calcogr. Reg. erudit. Bruxellae

VIRTVS AVGVSTI.



NTiquiſſimarum ſtatuarum dum prima inchoamus initia, ab hac ipſa ordimur, quæ VIRTVS AVGVSTI communiter appellata, marmoream formam ac duritiem habet. Neque appellatio mira eſt; quid enim frequentius in nummis, quàm SECVRITAS, FELICITAS, PIETAS, LIBERALITAS, TRANQVILLITAS, ÆQVITAS, ÆTERNITAS, MVNIFICENTIA, CONCORDIA, VICTORIA, ABVNDANTIA, PROVIDENTIA, PRVDENTIA, LÆTITIA, FORTVNA, SPES, SALVS, RELIGIO AVGVSTI? Simulacrum verò *Virtutis militaris* Romanorum Principum fortitudinem (& ipſius Imperii ſimul Majeſtatem) deſignat; *haſtam* tenens & *parazonium*, *galeam* ſæpè & *ſcutum*, ut ſpolia hoſtilia, pede premens. *Juvenis* robuſtus & lacertoſus, egregiè *armatus*: Quia Romani primam in *Virtute bellica* gloriam ponebant; inde hoc ſimulacro Principes cohoneſtabantur. Erat autem *parazonium* brevis gladius, zonæ alligari ſolitus; & cæſim, quàm punctim magis feriens, qualem etiamnum Helvetii uſurpant. *Altera mamillarum*, ritu Amazonum, à pectore denudata atq; *detecta* eſt: In galea *gryphus*, ſive *ſphinx* ſeſſitat, & requieſcit: *Ardet apex capiti*, &, quod præterea dixit Maro, *olorinæ ſurgunt de vertice pennæ*. Ad ipſos verò pictores quod attinet, ſubuculam *albam*, pallium *purpureum* exprimunt. Rex ferarum, *Leo*, hiante rictu, magnanimitatem pariter ac tutelam denotat: Imaguncula *globo* terreſtri *inſiſtens*, *lauream* ſiniſtra & *cornucopiæ* dextra continens, *Victoriam* declarat: Poſtremò dimidiata veteris *Philoſophi* figura ipſos Sapientes in memoriam nobis revocat. Quid multa? Gloriam potentiæ & felicitatis ſuæ in *Virtutem bellicam* Romani derivaſſe videntur: Ita VIRTVS AVGVSTI in Capitolio, poſt L. Veri obitum, M. Aurelio Imperii inſignia tradidit: In numo Tetrici, Tyranni, Virtus maſcula, ſeu militaris, cum eadem inſcriptione, inſidens thoraci, dextra lauri ramum præfert, ſiniſtra haſtam. Haud aliter VIRTVS HERCVLIS, clavæ innixi; item VIRTVS ILLYRICI TR. navim bellicam, velut in anchoris conſiſtentem, tranſilientis, è nummis quoque apparet. In quibus omnibus virtutis merito, nec fortunæ indulgentia provectis, illud Horatii locum habuiſſe poteſt:

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
intaminatis fulget honoribus;
nec ſumit, aut ponit ſecureis
arbitrio popularis auræ.

IVPITER OLYMPIVS;

I. Luc. de Sandrart delin. Romæ 1679.

Rich. Collin Calcogr. Reg. sculpsit Bruxellis



Novissimè hæc *Jovis statua*, è terræ cavernis Romæ effossa, inveniebatur, optima *Græcorum* arte scalpta è marmore: Quam postea in *Equitis Veroßii palatio* erectam quivis unus pro *Jove* agnovit *Olympio*; quo nec perfectiorem, nec integrum magis Urbs habet. Illum sic dictum fuisse tradiderunt, quòd ab *Olympo* magistro sit eruditus; nam Dionysum ajunt post devictos Titanas ac Saturnum & Rheam, cùm ex his natus esset Jupiter, eum, cum Dionysus in Ægyptum militaret, Regem regionis instituisse: Sed cum esset valdè juvenis, illius magistrum ac tutorem instituit *Olympum*, virum & rerum astronomicarum peritum, & prudentia clarum; à quo *Jupiter* fuit eruditus, & *Olympius* appellatus. Sic autem scriptum est ab iis, qui res Ægyptias conscripsere. Et quoniam non unus, sed plures Joves fuerunt, idcircò varia loca, in quibus nati sint, maximè verò montes referuntur: Qui igitur *Cretensem* Jovem crediderunt, ab *Ida* monte *Idæum* appellarunt; ut Virgilius: *Idæumq; Jovem, Phrygiámq; ex ordine matrem.* At qui in Arcadia, *Olympium* dixerunt; quia Lycæus, Arcadiæ mons dictus est *Olympus*, ut ait Pausanias in Arcadicis; cujus vertex *Sacrum jugum* vocatum est, quod ibi Jovem vulgò fuisse educatum ferunt. Haud aliter *Olympus Triphylius*, mons *excelsus Diis dicatus* erat, in Panchæa insula Oceani, juxta Arabiam felicem, ut Diodoro Siculo videtur; quem etiam *Cœli sedem* nominarunt. Hoc nimirum modo Olympum pro ipso accipiũt cœlo, quia *Olympi* montis, in ea parte Thessalię, quæ in Macedoniam vergit, editissimi vertex usq; adeò attollitur, ut nubes penetrare, cœlumq; ipsum attingere crederetur. Ceu fermè Ebræis Horeb dicitur *mons Dei*, hoc est, ingens, & supra alios eminens; & *Deus Carmelus*, istud idolum, quod, teste Suetonio, in monte Carmelo, ædem suam habebat: Fueritne *Alagabal*, quasi dicas, *Deus montis*, Syrorum vel Phœnicum lingua, peculiaris eorum Gabalitarum Deus; quorum in sacris literis habetur mentio, Scaliger ex Herodiano & Dione explicat. Apud Sinenses hodiéque in provincia Fokien, juxta civitatem Tunchuen, *mons*, in idolum *Fe* efformatus, admirationem superat; cujus oculi, aures, nares ac os, ad duo & plura nostratia conspiciuntur milliaria. Denique Lapporum Deus, *Storjunkare*, inter rupes, & *sacra montium* honorabatur.

HERCVLES HYDRAMVINCE.
H. de Sandrart del. Romæ 1679.
Richard. Collin Calcogr. Reg. sculp.

VINCENS.



Oneſti victoria certaminis penes Herculem ſemper fuit, cujus marmorea ſtatua, Romę nuper eruta, & in *Equitis Veroſpii palatio* erecta, altero pede reſtituto, monſtroq́; crebris locis refecto, conſpicitur. Cùm enim *in Lerna*, Argivi Mycenæique agri lacu, *hydra* inſignis eſſe diceretur, & magnoperè formidabilis, quæ in palude lacui proxima verſabatur, plura capita habens; jubebatur Hercules ab Euryſtheo illam interficere. Verſabatur plerunque, & educata fuerat ſub platano quadam ibi ampliſſima, ad fontem Amymones; apud quem fuit etiam cæſa. Dicunt hanc hydram *plura* habuiſſe *capita*, ſiquidem Naucrates Erythræus *ſeptem*, at Zenodotus Epheſius *novem*, Heraclides Ponticus *quinquaginta* illa fuiſſe; quæ, quoties unum eorum cædebatur, *priorum numerus duplicabatur* continuò, niſi quis conciſum reliquum colli thyrſum igni ſtatim combuſſiſſet: Id cùm cognoviſſet Hercules, nulli diligentiæ aut labori pepercit in illa opprimenda. Aſſerunt, ejus hydræ venenum fuiſſe acutiſſimum; quippe cùm ſagitta illo veneno tincta Chironem propè ſubitò interemerit, vel Polemorem Centaurum, ut quidam maluerunt. Hunc ajunt, vi doloris impulſum, ad fluvium, è Lapitho monte Arcadiæ defluentem, accurriſſe, ut ibi vulnus lavaret; unde poſtea teter odor dicitur flumini ex loto vulnere diu permanſiſſe. Fuit enim hydra illa maleficum omninò, & peſtiferum hominibus animal; quippe quæ campeſtria omnia impetu facto devaſtaret, & in pecora agros q́; vicinos crudeliſſimè fæviret. Fabulantur, Jolai opera aurigæ uſum fuiſſe Herculem; nam in curru eò acceſſerat, cùm ingens *cancer hydræ* opem tuliſſet, quem Hercules conculcavit: Siquidē ex accenſa ſylva propinqua accenſos torres Jolaus ad Herculem attulit. Verùm crediderunt, hunc laborem, quia adjutus fuiſſet Hercules ab Jolao, non fuiſſe inter duodecim ab Euryſtheo receptum. Hactenus Natalis. Virgilius hydram, in Lerna palude confectam, inter reliquos Herculis labores, hunc in modum, ſexto Æneidos, deſcripſit:

Nec verò Alcides tantum telluris obivit,
fixerit æripedam cervam licet, aut Erymanthi
placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.

LAO-

LAOCOON.





Ommonſtravimus modò,& digitum quaſi ad Jovem intendimus; quem congruenter ſacerdos excipit: Nunc enim *Laocoon ſolus*, ſeorſim poſitus, ad artem penitiùs inſpiciendam, meliúsque cognoſcendam, ſpectaculo eſt; cujus accurata, & rurſus iterumque repetita contemplatione creſcit ſtudium, & per ſingulas partes firmatur judicium. Ideò mihi non ſatisfacere exiſtimavi, niſi ex illa parte, quæ omnium elegantiſſima ac perfectiſſima erat, ſacerdotem iſtum delinearem; ſingula *membra*, principales *muſculos*, emicantes *affectus*, debilitantes *anguſtias*, & *ſenectum* corpus rectè atque condecenter exprimerem. Hodiè verò is in amœniſſimo Pontificis horto, *Belveder* dicto, conſpicitur; in palatio *Titi* quondam poſitus, deinde in loco, *Sette ſale* appellato, repertus; quem Egeſander, Polydorus, & Athenodorus, ex integro marmore, planè perfecerunt. De hiſtoria ejusdem ex Servio monemus, quod poſt adventum Græcorum ſacerdos Neptuni lapidibus occiſus eſt; quia ſacrificiis eorum non vetavit adventum: Pòſt abſcedentibus Græcis, cùm vellent ſacrificare Neptuno, *Laocoon*, Apollinis ſacrificulus & vates, ſorte ductus eſt: Ut ſolet fieri, cùm deeſt ſacerdos certus. Hic verò *piaculum* commiſerat *ante ſimulacrum* numinis, *cum Antiopa* ſua uxore *coëundo*: Et ob hoc, immiſſis draconibus, cum ſuis filiis interemtus eſt. Hiſtoria quidem hoc habet; ſed poëta interpretatur *ad Trojanorum excuſationem*, qui hoc ignorantes decepti ſunt. Rem ipſam obſcuriùs indicavit his verſibus:


Laocoon ductus Neptuno ſortè ſacerdos,
ſollemneis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(horreſco referens) immenſis orbibus angues
incumbunt pelago, pariterq́; ad littora tendunt.

Et poſt paullò:

Tum verò tremefacta novus per pectora cunctis
inſinuat pavor; & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt, ſacrum qui cuſpide robur
læſerit, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.

ANTI-

ANTINOUS,



F.D. Sandrart del.


cum privil. S.C.M.

R. Collin sculp.



regione Laocoontis, in ipſo muri fornice, nuda *Antinoi* ſtatua conſpicitur, cui alterum deeſt brachium; alterum verò ab humero dependens, in faſcia recumbit, & requieſcit. Ante hos annos centum, in monte Eſquilino, ad S. Martinum A. 1560. reperta fuit, ad cujus exemplum ſimilia hinc inde, per urbem Romam, capita adhuc inveniuntur. Solitam hominis ſtaturam candidum illud marmor excedit, formoſum ac nudum oſtentans adoleſcentem. Species illius eximia eſt, ars lucis & umbræ prorſus admiranda; & ſi reflexionem ad lucernam Solis obſervemus, eò magis eluceſcet rotundita, quæ ipſam explet perfectionem. Spartianus, in Hadriano Cæſare, rem turpem, & ne nominandam quidem, (notante Caſaubono) honeſtè reticet; aliis nempe aſſerentibus, eum fuiſſe delicias Hadriani, *quod & forma ejus oſtentat, & Hadriani nimia voluptas;* hoc eſt, παιδομανία. Eſt autem firmiſſimum argumentum à *forma Antinoi*, quam didicerat Spartianus ex illius ſtatuis, & veteribus nummis. Pauſanias quoque in Arcadicis ſcribit, ſe, cùm vivum non vidiſſet, mortui ſtatuas & tabulas multas eſſe intuitum, *Bacchi vultum* referentes. Extat in nummis (qualem æreum, è Thuani cimeliis depromtum, Caſaubonus dedit) expreſſa illius ephebi imago; quam nemo vetuſtatis paullò callentior aſpiciet, quin vultum habitúmque catamiti ſtatim agnoſcat. Et Græci quidem profuſis adulationibus Hadriani luctum, cùm is Antinoum ſuum (quem per Nilum navigando perdidit) Alexandriæ muliebriter defleret, minuere conati, iſtum non ſolùm inter heroas & minorum gentium deos retulerunt; ſed & ſtationem in cœlis certam eidem aſſignarunt, *novum ſidus* inter cœleſtes imagines commenti: Quidam in orbe Lunæ cum Endymione collocarunt, oracula per eum dari aſſerentes: Nec ſacerdotio ſuo caruit. Denique *Antinoopolis*, in Thebaide, apud Ægyptios, de hujus nomine, juſſu Hadriani, appellata, & tantùm inſtaurata fuit.

FAUNUS.



Sandrart delin. *Cum Privilegio S. C. M.* *Richard: Collin*

Free copy for study purposes only



Hllaris ac jucundus is eſt, *pellem caprinam* ex humero pendentem jactans; quæ *pomis & uvis* repleta eſt: *Siniſtra* manu *uvam* elevat, atque extollit; ad hanc *panthera oculos* ſuos *retorquet*, & aſpectum in fruges refert, quas vehementer deſiderat, cum quodam appetitu. Hujus, ceu vocant, actionis beneficio inſigne ac ludibundum corpus ejusdem præclarè oſtenditur; quanquam majori ſpecie, & ruſtico magis modo. Tota hæc imago candida atque marmorea, adfabrè facta eſt, antiqui cujusdam artificis ſignum certiſſimum. Extat *Romæ, in palatio Medicéo,* quod ſtatuariæ ſcholam, omnísque antiquitatis theatrum haud immeritò dixeris. Videntur mihi poëtæ (inquit Natalis Comes) quamvis nihil certum affirmare poſſum, Faunos animalia putaſſe, cùm tanquam *equos cornipedes* illos Ovidius appellaverit ita, in ſecundo Faſtorum:

Cornipedi Fauno cæſa de more capella.


Tribuerunt illis *cornua,* & coronabant *pineis ramis;* quod illa arbor grata ſibi eſſe putaretur, ut teſtatur idem in Oenone:

Cornigerúmque caput pinu præcinctus acuta
Faunus in immenſis, qua tumet Ida, jugis.

Exiſtimabantur à nonnullis eſſe dæmones, qui attonitos redderent omnes obvios. Neque ab antiquis ſcriptoribus Græcis Fauni celebrati ſunt, quia Faunus, Pici Latinorum Regis filius, tantùm in Italia regnavit. Hic quoniam multa ad Deorum religionem inſtituit, multáque ad agriculturam excogitavit, inter Deos relatus fuit agreſtium: At quoniam non niſi per formidandas figuras, Deorum metu, multitudo imperitorum teneri poterat, idcircò & cornua, & cornei pedes, & terror ille Faunis additus fuit. Hi igitur ſive fuerunt animalia, ſive dæmones crediti, omninò pro Diis ab agreſtibus hominibus colebantur, teſte Virgilio, in primo Georg:

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni.

ALEXANDER M.



Sandrart delineavit.

Richard Collin Sculp.

VNA CVM BVCEPHALO.



ARmeniæ Rex Tyridates ſtatuas duas ſtupendæ magnitudinis, ex albo marmore, Romam ſecum attulit; quæ ſingulæ *Alexandrum M.* unà cum *Bucephalo*, ſeorſim exprimunt. Alteram *Praxiteles*, alteram *Phidias*, velut æmuli atque imitatores artis ſuæ, è ſaxo ſcalpentes, poſteritatis arbitrio permiſerunt. Quoniam verò utraque illius figura in tam exiguo chartæ ſpatio haud aliter ante oculos exponi poterat, quàm ſi membratim imminuerentur; congruum magis atque conveniens fore arbitrati ſumus, ſi unam tantùm ſiſteremus, quæ omnem menſuram, formámque integram nos docet. Ambæ conſpiciuntur *in monte Quirinali*, qui etiam *Mons Caballi* inde cognominari ſolet. Inſcriptio, ad pedes earundem, hæc eſt:

HEVS TV, QVI PRÆTERIS, MORARE PAVLVM, AC INSPICE:
IN QVIRINALI HI SVNT EQVI MARMOREI, MVTILI ATQVE GRANDES.
ARTE VICTA NATVRA PARENS SPIRITVM CVR ERIPVIT?
QVOD PRAXITELES ET PHIDIAS EFFINXERE, ISTOS ÆMVLANTVR.
SAT DIXI. ABI, VALE, SALVE, MISCE, BIBE, DA MÎ.
ROMÆ cIↃ IↃ XLVI.

Fuit autem *Bucephalus*, Alexandri M. equus, à *latitudine frontis* ſic dictus, vel ab *aſpectu torvo*, vel ab inſigni *taurini capitis* armo impreſſi; quo Alexander in certaminibus utebatur. *Bucephalia*, urbs Indiæ dicta, quam Alexander condidit, dixitque ex nomine ſui equi *Bucephali*, eo ipſo in loco ſepulti, Strabone ac Plinio auctoribus.

GLA-

GLADIATOR.




Swinvart del.



Ugnarunt Gladiatores Saturnalibus, ait Lipſius, & Saturno placando propitiandóque; qui non inter ſuperos, ſed inferos Deos erat. Hinc Romani, quia gladiatorum ſanguine placari manes credebant, eáque prima ludicri cauſſa; hoc ſpectaculum dedicarunt crudo & ſanguineo Deo, cujus triſte ingenium. Ortus verò mos à Campanis, quibus ſollemne fuit, in lætiore convivio paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam: A quibus avidè hauſerunt Romani. Cæterum inter omnia ſpectacula celeberrimum fuiſſe iſtud gladiatorum, Cicero affirmat, oratione pro Seſtio: *Equidem exiſtimo*, ait, *nullum tempus eſſe frequentioris populi, quàm illud gladiatorium; neque concionis ullius, neque verò ullorum comitiorum*. Præter funus verò & religionem, etiam voluptatis cauſſa dati ſunt gladiatores, à pleríſque Magiſtratibus, Sacerdotibus, Imperatoribúsque: Dederunt enim Ædiles, Prætores, Quæſtores, Conſules, Ærarii: Nec Romæ ſolùm, ſed in provinciis quoque. Poſteà promiſcuè privati, vario prætextu. Fuere *buſtuarii, Cæſariani, catervarii, coacti, cubicularii, fiſcales, obſequentes, ordinarii, poſtulatitii, conſummati*, alii. Ad conditionem quod attinet, è ſervis plerunque legebantur, aut captivis: ſed paullatim etiam liberi & ingenui, nulla quidem aliunde vi, ſed pretio inducebantur, vel mala libidine pugnandi: Corruentibus tandem moribus eò ventum eſt, ut primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent. De cætero illa *gladiatoris ſtatua*, velut inter ignes Luna minores, *in Principis Juſtiniani palatio*, ob candidum marmor, elucet atque emicat; recta hominis ſtatura, muſculis ac membris benè inter ſe ordinatis. Priſci hoc eſſe artificis opus, teſtantur Herculeum robur, cordatus corporis poſitus, audax ac proterva actio, & caſſis, & enſis, & omnia.

ARRIA-

PÆTUS c. ARIA



I. D. Sandrart del:

B. Collin Sculp. Aug.



N Cardinalis *Ludoviſii* palatio, & viridario, inter plurima veræ antiquitatis monumenta, *Pætus* & *Arria* conjux ejus, velut αὐτόχειρες, miratione faciunt. Hiſtoriam ipſam eorundem accipe: *Arria*, uxor *Cæcinnæ Pæti*, qui Camillo Scriboniano contra Claudium, in Illyrico, legatus adhæſit, mulier miræ fortitudinis & conſtantiæ, damnato marito prior *ſe gladio confodit; eundémque* dein eximens, *viro tradidit*, ſuo eum exemplo adhortans, ut fortiter moreretur. De hac ita Plinius, in tertio epiſtolarum: *Præclarum quidem illud ejusdem, ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pænè divinam*, PÆTE, NON DOLET! *ſed tamen iſta facienti dicentique gloria & æternitas ante oculos erant.* Præterea cùm *Pætus*, occiſo Scriboniano, Romam traheretur, & eſſet aſcenſurus navem; *Arria* milites orabat, ut ſimul imponeretur: Non impetravit, conduxit piſcatoriam naviculam; ingénsque navigium minimo ſecuta eſt. Hæc ipſa igitur cùm maritum morti deſtinatum intueretur, eum meticuloſum confirmavit, enſe primùm ſe confodiens; deinde illi tradens his propemodum verbis: I, feri te; non dolet vulnus, quod ego feci; ſed quod tu facies! Hæc eſt illa vox immortalis. Statua marmorea baſi ſuæ affixa, humanam excedit ſpeciem: Conſpicua quoque actio eſt fortia facientis, an patientis? *ſiniſtra* fidem conjugalem Arriæ ſuæ tradit, *dextra* gladium in pectus adigit, licet *averſo vultu*. Omnia inter ſe congruunt: Proportio, & affectus, & elegans nudorum corporum forma, vultus intrepidi, & veſtes accuratæ. Ea re motus ſtatuam hanc exhibere plus ſimplici vice, conſtitui; ceu ex ſequentibus pateſcet.

Io non son (come parlo) un Babbuino
stroppiato, senza piedi, et senza mani,
Ne men con gl'altri membri sconci et strani,
La simmia son di Niccolo Zoppino.

Ma son quel Famosissimo Pasquino
che tremar faccio i Signor più soprani,
et stupir forastieri, et Paesani
Quando compongo in volgare, o in latino.

Non dir mai ver
se voi viuer
in Corte


Roma
ogneo
Pazzo
Domma

Pasquinus eram: nunc Lapis.
Forsan Apis: quia pungo.
Dii tibi culeum: si spernis aculeum.
Etiam mellibus ungo: veritas dat fa...
Et felle purgo: si sapis.
Audi Lapidem.
magis lapidum, quam fundae
Gruere salib9. insulse
ut bene sapias.
Calcibus calceos olim agitav...
nunc rectos pedib9 gressus ...
Abi in lapidicinas si spernis lap...

Lapis loquitur: forsan Lapides intercat.
Romae olim, quot homines, tot Statuae: hodie tot lapides, quot homines.
Nisi tu faceres quae loquor: mutus ego Lapis essem.
Lapis latrat, canis est: forsan fures videt.
Video te, et rideo: Odia non audio.
Forsan tu alapas Lapidi non laesurus, laederis: impinges, non pungis.
Ego neminem laedo, nisi malos: accede si bonus es.
Audi me loquentem, et vitam corrige: ne vitia tua omnes loquantur.
Si me conteris: in plures Lapis lapides abibit.
Etiam Lapilli loquentur.

AD angulum palatii *Vrſiniani* ſtatua ſurgit marmorea, quæ jam dudum *Paſquini* nomine appellata, atque omnium ſermone celebrata eſt. Habetur aliàs pro imagine *Pugilis* cujusdam, vel ipſius *Martis* potius, aut alius fortè *militis*: Speciem enim *luctantis* refert, cui fragmentum marmoreum, inſtar humani trunci, ſubjacet: quaſi cum eo conflictari, & pro vita dimicare vellet. Nonnulli ſtatuam hanc *Alexandri M.* Macedoniæ Regis fuiſſe autumant, qui iracundiæ parens, & facti ſuppœnitens, Clytum à ſe interfectum, brachio complectitur: Quam conjecturam galea & actio firmant, quæ quaſi ſermo corporis eſt. Sed unde hæc appellatio? quæ ratio nominis iſtius? Ipſis hodiéque Romanis fidem habeamus, neceſſe eſt, conſtanter, id affirmantibus, ſutorem quendam veteramentarium palatii illius parietem tetigiſſe, cui nomen erat *Paſquino*; In ſutrina verò, ejus otio diffluentes nugigeruli, lepidi ſycophantæ quotidiè hærebant; quos ſatyrico ſale tàm egregiè perfricabat, ut *nomen Paſquini* pervulgatum, in facetis dicteriis ſermone omnium verſaretur: Hoc poſtea defuncto famoſi clàm libelli, & malitioſæ calumniæ, è regione illius ſtatuæ, in medio urbis (ut omnibus pateret) ſitæ, affigebantur. Tempus deſideranti, certius indicari nequit, quàm ante ſecula duo illam cœpiſſe; cum *Franciſcus Vrſinus* palatium ſuum exſtrueret. Mirum, ſanè eſt, neminem usque adhuc publici vexillum iſtud decoris deturbare auſum: Quanquam (ſi fabula vera eſt) nonnemo è primoribus ludibrium hoc in Tiberim dejicere animo præſumſerit. Sed familiaris quispiam à propoſito eundem his verbis deterruit: *Cave ſis*, inquam, *ne Paſquinus plura deinceps ſub aquis, quàm in terris, de primoribus eloquatur!* Quo plus enim ſuber immergitur, eò magis aſcendit & enatat.

HERCULES,



I.D.Sandrart.F. delin.


HErcules, *Jovis & Alcmenæ filius*, ob fortitudinem & gloriam inter Deos relatus. Varro XLIII. Hercules nominat, omnes tamen, qui robore præſtiterunt, hoc nomine ab Hercule, Alcmenæ filio, appellatos fuiſſe affirmat. Hunc autem maximè nobilitavit implacabile Junonis odium, quæ, quòd ex pellice natus eſſet, perdere illum cupiens, novis ſemper monſtris objecit: quæ res expectationem ejus maximè fefellit. Ille enim ſemper victoriam referens, immortale ſibi decus peperit; adeò ut illa prius in jubendo, quàm hic laborando defatigaretur. Quo factum eſt, ut multi fuerint Hercules, qui variis temporibus floruerunt, omnes heroica virtute, rerúmque geſtarum magnitudine inſignes, tamen huic uni reliquorum omnium labores tribuuntur; quos infinitos fuiſſe alii crediderunt, ut teſtatur Euripides, in Hercule inſano. De inſigni corporis proceritate Heraclides Ponticus ſcripſit, quatuor cubitorum & unius pedis longitudinis fuiſſe. Tres præterea dentium ordines habuiſſe, igneúmque ſplendorem ex oculis effudiſſe, ex aliis Tzetzes memorat. Cæterum ajunt Herculem *clavam*, quam ex *oleaſtro* ad Saronidem paludem exciderat, abſolutis laboribus Mercurio, cognomento Polygio, apud Trœzenios dicaſſe, ut ait Pauſanias in rebus Corinthiacis. Hanc ipſam denique dicunt repullulaſſe, actísque radicibus inſignem arborem factam fuiſſe; quod fortè poſſet non mirabile videri, cùm dicat Virgilius, oleas vel ſiccas pullulare, in ſecundo Georgicorum:

Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Statua Herculis longè pulcherrima, eáque marmorea, in *Principis Juſtiniani* palatio, humani corporis magnitudinem excedit, membris fortiſſimis: Dextra clavam, ſiniſtra pellem occiſi leonis, inſtar opimi ſpolii tenet; quo ſumma arte perfecto opere eximius artifex meritò lætabatur.

HERCV-

HERCULES. QVIES.



Sandrart delineauit. R. Collin sculps. Antverpiæ.

HERCVLES, A LABORE QVIESCENS.

HErcules ille, à Geryonis (tricorporis Hiſpaniæ Regis) potiùs, quàm alterius labore quieſcens, humanam ſpeciem bis æquans, & ſolidæ baſi affixus, in aula *palatii Farneſiani* (quæ Picturæ ſimul ac Sculpturæ publica quaſi ſchola eſt) reperitur; *Græci artificis* opus, giganteo robore, & pulcherrimo corporis decore, præ reliquis valdè conſpicuum; quæ unquam Herculi imagines poſitæ fuerunt. *Conſecratum* illud *Pantheo* perhibetur, ubi inter cæteros Deos Numen firmitudinis colebatur. Quid autem Hercule laborioſius? quid magis operoſum, magis induſtrium dici aut fingi poteſt? In cunabulis adhuc jacens, geminos *angues* eliſit; adultus *hydram*, capitibus pullulantem, in Lerna oppreſſit; *cervam* aëripedem, in Mænalo monte, interfecit; in Nemæa ſylva jugulavit *leonem;* hoſpitum carnibus equos paſcentem devicit *Diomedem;* terribilem *aprum*, in Erymantho monte cepit, vivúmque ad Euryſtheum attulit; Stymphalides *aves* ſagittis interfecit, & fugavit; *taurum*, in inſulaCreta, domuit; *Acheloum* ſuperavit, *Buſiridem* occidit, *Anteum* gigantem ſuffocavit; Calpen & Abylam, *montes* conjunctos, diviſit; aurea *mala*, ex Heſperidum hortis, ſuſtulit; *cœlum*, jam feſſo Atlante, humeris tulit; *Cacum* & *Lacinum*, latrones, ſuſtulit; *Albionem* & *Bergionem*, iter ipſius impedientes, lapidum imbre perdidit; *Tyrrhenum*, Bœotiis bellum inferentem, profligavit; *Centauros* domuit, Augiæ *ſtabulum* repurgavit; *Heſionem*, Laomedontis filiam, à ceto liberavit; inſulam *Côn* diripuit, *Amazones* debellavit, *Cerberum* ad ſuperos traxit, *Alceſtim* ab inferis ad virum reduxit, *Lycum* adulterum interemit; *Aquilam*, Promethei jecur in Caucaſo exedentem, ſagitta trajecit; *Cygnum*, Martis filium, certamine obruit; occidit *Theodamantem*, *Pylum* diripuit; *Zeten* & *Calain*, alatos Boreæ filios, trucidavit; *Zonam torridam* incolumis pertranſiit; *Syrtes* etiam pedes ſuperavit; *columnas*, in Occidente, erexit; *Oechaliam* urbem delevit, & *Jolen*, Euryti Regis filiam, vi obtinuit: Hoc fuit negotium Herculis, hoc otium; hic labor, hæc quies!

APOL-

Apollo.



I. B. Sundrart del.

Cum Privilegio S. C. M.

For personal purposes only - The Getty Research Institute



Udum conſtituerunt Apollinem, ſi *pharetram*, & *veſtem ex humero* pendentem excipias. Videtur is emiſiſſe ſagitam, & *arcum tentaſſe*, *dextera trunco* innixus, qui *ſerpente* circumvolvitur. Hoc ipſo ſapientia, apud veteres occultata, *Apollinem* pariter ac *Solem* inter ſe concordantes haud obſcurè ſubindicavit: Siquidem Sol radiis ſuis, ceu venenatis telis, in terram vibratis, peſtem ac mortes excitat atque inflammat. Hinc origo fabulæ de *Pythone*, miræ magnitudinis ſerpente, quem *Apollo* ſagittis ſuis confeciſſe fertur: Is enim poſt diluvium è terra natus, & à putredine, ſeu putrefactione *Python* dictus, immenſam exhalationis vim ſignificat; quæ extitit poſt inundationem, donec à Sole conſumeretur. Cujus rei memoria ne ullo temporum lapſu obliteraretur, ſacra certamina majores inſtituerunt, quæ à nomine ſerpentis *Pythia* appellabantur. Cæterum multis de hac imagine perſuaſum eſt, quod in *templo Delphico* ex ancipiti *oraculo* reſponſa dederit, in Chriſti Servatoris nativitate prorſus obmuteſcens: Quam dein Auguſtus Imp. fruſtrà conſulens, Romam transferri juſſit. Artificium illius ſtatuæ magni æſtimatur, velut inter *Hermaphroditos* perfectiſſima; imprimis ob diſcretam utriúsque ſexus mixturam: Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus hîc in amorem contuentes impellit. Qua re mota Græca mulier, ventrem tunc ferens, cum cura eandem ſtatuam, in horto *Belveder*, diutulè ſpeculata eſt; noviſſimo partu utrumque ſexum edidit, non ſine miro & eleganti per integrum corpus diſcrimine: Qui partus cum adoleviſſet, libidini ſuæ indulgens, & ſeipſum iniens, ex ſe filiam quoque peperit, nomine *Roſannam*. Mater hæc vulgò vocabatur *Signora Franceſca Greca*, longè ante alias ſpecie ac pulchritudine inſignis. Hæc ipſa autem hiſtoriola à veritate haud deflectit, Romæ omnibus notiſſima; ipſe enim biformatam ſæpiùs matrem, per feneſtras cum *Roſanna* ſua proſpicientem, interdum & in publicis viis obambulantem oculis meis uſurpavi. Ad ultimum picturas earundem teſtor quàm plurimas, Romæ vario ritu tàm egregia arte perfectas, ut vivæ iſtarum formæ viderentur.

SILENUS.



Sandrart delin. B. Collin sculp.



Vlti fuerunt Sileni, ait Natalis; ſed unus præcipuè inter illos cæteris antiquior memoratur, quem Catullus in Nyſa, Indiæ civitate, natum eſſe memorat: Ferunt præterea, Silenum Bacchum educaſſe, ut teſtatur Orpheus in hymno. Hunc ſcribit Lucianus, in concilio Deorum, ſenem fuiſſe, & calvum, & ſimum, & aſino plerunque utentem, *brevis ſtaturæ, corpore obeſo & ventricoſo, auribus magnis & arrectis, tremulum baculo innitentem.* Semper ferè ebrium fuiſſe, inquit Virgilius, ecloga ſexta:

Silenum pueri ſomno videre jacentem,
inflatum heſterno venas, ut ſemper, Jaccho.
Serta procul tantùm capiti delapſa jacebant,
& gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Vnà cùm ipſis Satyris ſemper ferè Bacchum ſequebatur, & fama eſt, eundem à Mida, vino in fontem quendam infuſo, captum fuiſſe; quod vino maximè delectaretur, ut innuit Ovidius undecimo Metamorph:

Hunc aſſueta cohors, Satyri Bacchæq; frequentant;
at Silenus abeſt; titubantem annisque meróque
ruricolæ cepere Phryges, vinctúmque coronis
ad Regem duxere Midam.

Bacchi *comitem*, ſenem, ventricoſum, titubantémque dixerunt, quia vinum & ebrietas cum *obeſos* reddit, tum caput plerúnque gravat, & titubantes facit, & ad ſenectutem citiùs perducit; hæc enim omnia incoñoda, & corporis turpitudines id circò *Bacchi comites* finxerunt: Quidam putarunt *Silenum ſenem* fuiſſe *Bacchi alumnum*, quia vinorum vetuſtas omnes iſtas turpitudines augeat: Dicebatur ab aſino vehi ſolitus, quia tardi ſunt plerunq; & inutiles negotiis, qui plus potare ſolent, quàm conveniat. In ſtatua hac pleraq; apparent; *habitus* corporis *opimus* eſt, *ſtatura brevis*: Ambabus manibus *hircinum utrem* tenet, vino repletum: His in alterum genu repoſitis, *trunco* ſimul *innititur*, qui requiem affert. *Caput pyrola redimitum* eſt, quia ipſius folia, hiberno æquè ac æſtivo tempore, *in perpetuum virent*; ceu *recens vinum* juventam pariter ac ſenectam *recreat*. Ad pedes recubans *Tigris* ſurſum oculos intendit, ac ſi deſiderio uvæ angeretur. *Romæ*, in palatio Principis *Juſtiniani*, monumentum hoc ea, qua decet, cura delineavi, ut aliis inſervirem, quod unica ſyllaba plus eſt, quàm ſervire!

CENTAURUS




Saudrart del. *B. Collin Sculp. Antverpiæ*



Alæphatus *Centauros* dixit appellatos filios Ixionis, quia, cum *tauri* agreſtes, in Theſſaliam venientes, fruges devaſtarent; tum juvenes fortes, equos aſcendentes, in *tauros* impetum fecerunt, ac *ſtimulis pupugerunt;* eſt enim κεντεῖν *ſtimulare,* & *pungere:* Cùm verò eos agreſtes procul fuiſſent conſpicati, exiſtimarunt ſuperna parte *homines,* inferiore *equos* eſſe; quia nemo equum ante id tempus conſcenderat, & quia *tauros* illos *pungentes* vidiſſent, *Centauros* appellaſſe. Hos verò filios Ixion cum nube, in Junonis formam ab ipſo Jove coacta, ſuſceperat; quia illius amore captus, eam de ſtupro interpellârat. Centaurorum, qui à poëtis maximè celebrantur, nomina ſunt hæc: *Chiron, Eurytus, Amycus, Gryneus, Rhœtus, Arneus, Lycilas, Medon, Piſenor, Caumas, Menneros, & Pholus;* qui ſuſcepiſſe Herculem hoſpitio dicitur. Eos ab Hercule victos interfectósque, oſtendit Diodorus: Præterea Antimachus in Centauromachia iſtos Theſſaliæ populos, Pelii montis accolas, agreſtes planè & contumelioſos, è Theſſalia pulſos in inſulas Sirenum confugiſſe ſcripſit; ubi cantibus illarum delectati, omnes in perniciem fuerunt attracti. Per hæc igitur, quæ dicta ſunt de Centauris, ſignificare voluerunt antiqui, non cedendum eſſe cupiditatibus, neque manus in res alienas per vim injiciendas; ſed temperantia & juſtitia in omnibus uti convenire: Cavendósq; eſſe illos, qui turpiſſimo ſunt corpore; quoniam mores plerunq; corpori ſunt ſimiles. In horto palatii *Cardinalis, Scipionis Burgeſii,* extra *Portam, del Populo* dictam, ſtatua iſtæc, humana ſpecie minor, non pauca reſtitutæ novitatis ſigna continet; imprimis autem *Cupido* luſitans, & *Centauro inſidens,* indicium nobis facit; qui altera quidem manu *captivum tenet,* altera verò eundem *arcu impellit:* Item *cauda,* & *pedes* iſtius equi formam è vetere fictam oſtendunt: De cætero corpus & caput & crines agreſtis viri, & equinæ aures, antiquiſſimæ artis teſtimonium perhibent.

VE-

VENUS.



I. D. Sandrart delin.

Richard. Collin sculp. Antorf.

The Library of the Free Academy of Arts, Sciences and Belles Lettres


CEleberrima hæc, in univerſo orbe terrarum, *Græcæ Veneris* ſtatua, olim in *Rotundo*, poſtea in palatio *Mediceo, Romæ* extitit: Nunc autem, Magni Hetruriæ Ducis Sereniſſimi juſſu, *Florentiam* delata fuit, inter potiora cimelia Ejusdem collocanda. Tenerrimæ pulchritudinis Deam expreſſit ipſe *Praxiteles*, marmoris ſculpendi inſignis artifex, *duplici* præcipuè *Venere* nobilitatus, *Gnidia* & *Coa*: Quæ, ob artis præſtantiam, magnam mortalium vim, eas in inſulas, ad ſui ſpectaculum allexerunt. Facies & actio illius non minus caſta, quàm decora eſt; ſtatura mediocris: *Puerulus ſupra delphinum* manu ſua hunc *regit*, undas *marinas evomentem*; de quarum ſpuma (Græcè ἀφρὸς dicta) *Aphrodites* nata & vocitata fertur, ſi poëtarum fabula vera eſt: Nam ex ſpuma maris & Cœli teſticulis Venerem ortam fabulantur, à Saturno exciſis, & in mare projectis. Hinc Auſonius:

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
ænea dum genetrix hîc habita, alma Venus.

Venerum *quatuor* meminit Cicero, tertio de Natura Deorum, his verbis: Venus *prima*, Cœlo & Die nata, cujus Eli delubrum vidimus: *Altera* ſpumâ procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus: *Tertia* Jove nata, & Diana, quæ nupſit Vulcano; ſed ex ea & Marte natus Anteros dicitur: *Quarta* Syria Cyróque concepta, quæ Aſtarte vocatur; quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt. Omnium pictorum facilè princeps, Apelles, celeberrimam illam Venerem, è fluctibus maris emergentem, & ambabus manibus è capillis & è facie aquam marinam exprimentem, quo divinum prope opus genitum fuit, pinxit.

GRATI-

GRATIÆ TRES.



Tres sunt, Euphrosyne, Charites, Aglaja, Thalia.

Cum privilegio Sac. Cæs. Majest.

Sandrart delineavit.

R. Collin. Sculp. et exc.



Ratias Cœlesti Veneri filias antiqui addiderunt, ob debitam omnibus bonis liberalitatem: Harum *una* aversa fuit, cum *duæ* Venerem respicerent. Sorores illæ dicuntur *manibus implicitis* se tenere invicem, *virginésque* esse, & *ridentes*; quia nulla spe motos oportet dici liberales: Cùm mercatores sint potiùs, qui ob aliquam spem benefaciunt; & quæ in aliquem extat beneficentia, tum demum grata est, quæ ex hilari animo, minimèque invito aut renitenti procedit. Superhæc Gratiæ dicuntur Veneri esse dicatæ, quod hæc nihil iis ignaris faciat: Cùm enim pomum à Paride esset captura, Hymenæum & Cupidinem, & Amores, & *Gratias* jussit advocari, ut ait Pausanias. Quas etiam *Veneris & Liberi* patris *filias* quidam dixerunt, nonnulli *Jovis & Eurymones*; quod nihil aliud significat, quàm fertilitatem agrorum, frugúmque abundantiam. Si *latè leges* & æquitas dominantur, agri rident. Hoc tamen munus non est solius *Eurynomes*, aut *Eunomiæ*, sed etiam *Jovis*: Quoniam humanæ facultates nullæ sufficiunt ad *Gratiarum* procreationem, cum *divina* clementia opus sit, & aëris temperie optimè affecti. Id quoque senserunt illi, qui *Solis & Ægles filias* putarunt; cùm nihil sine *divina* bonitate, *Solisque* calore nasci posse crediderint. Sunt illæ *tres conjunctæ* sorores creditæ, quia *triplex* est utilitas è cultu *agrorum, arborum,* & *animalium*. Quare illa *nomina* meritò data sunt Gratiis: Est enim *Thalia* amœna arborum pullulatio, *Aglaja* splendor, *Euphrosyne* lætitia, quæ ex agrorum cultu & ubertate dominum afficit. Vocatæ postea sunt *Charites* non solùm illæ superiores, sed omnia, quæ jucunda viderentur, gratias continere dicta sunt. Gratiosum revera opus illud est, licet quædam in eo restituta, vel ab ipsa potiùs vetustate labefactata videantur; quæ ex artificis mente, quantum licuit, sensim restitui: Nec minorem sanè diligentiam nobilissimus Scalptor, *Colinus*, adhibuit, silentii velo haud contegendam.

FAUNUI. DUO




Digitized by Florida State University Libraries for scholarly purposes only. Digital Collections



Æ duæ imagines, *pectoretenus* conſpiciendæ, antiqui ſcalptoris manu è marmore factæ ſunt; quàm fabrè? Deos agreſtes ex *Juſtiniani* cimeliis hîc vides, quos vulgò *Faunos* nominabant, ludibundos Satyrorum ſocios: Quare & *cornuta* eorundem *capita aures caprinas* habent, *foliis* æquè ac *fructibus* ſemper virentis *pyrolæ* exornata. In iſtorum Deorum cenſu fuit *Tanfana*, de quo Tacitus, primo Annalium; cujus nomen Loccenio, in Antiquitatibus Sueo-Gothicis, verè derivandum videtur à Germ. *Tan*, abiete; & *Fan*, vel *Fahna*, quæ eſt vox priſca, Gotho-Teutonica, dominum aut numen ſignans. Martianus Capella, in Nuptiis ſuis: *Qui habitant ſylvas, nemora, lucos, lacus, fontes ac fluvios, appellantúrque PANES, Fauni, FONES, &c.* Sic Iſidorus in Gloſſis: *FONES, Dii ſylvatici.* Itaque *Tanfana* nihil aliud erat, quàm *luci numen*, vel *dominus;* quem Romani *Sylvanum* indigitarent. Accedit etiam hæc ratio, quod *Tanfanæ* templum fuit in luco *abiegno*, inter Amiſiam & Luppiam, in Weſtphalia. Nec inſolens aliis gentibus erat, à ſingulari arborum genere nomina petita Diis ſuis imponere; ceu Jupiter *Fagitalis* cognominatus eſt Romanis à luco *fageo*, ei ſacro. Præterea *Tanfanæ* mentio monet, *Fan* diabolum Gothicè adhuc ſignificare. Qui verò in lucis ac ſylvis olim frequentiùs, & hodiè nonnunquam apparent, *Satyri, Sileni, Fauni*, & alia hujusmodi ſpectra, non dubitandum eſt, veræ Satanæ ludibria eſſe: *Abſit* (inquit Caſaubonus, in Satyrica Poëſi) *ut putemus extare illos, aut extitiſſe unquam inter rerum natura Satyros Silenósve; ſed cum errans natura hominem aliquando produxiſſet in lucem cum cornibus, aut alia deformitate, contra conſuetas ipſi leges notabilem; paulatim perſuaſere ſibi mortales rerum imperiti, naſci in ſylvis & abruptis montium tale animalium genus. Acceſſere phantaſmata illudentium dæmonum, quorum eſt unicum ſtudium, mendacia cujuscunque generis pro veris ingerere, & omnibus modis in hominum animis illa firmare.*

MINERVA.



I. de Sandrart del.

R. Collin f.



Effulget *Pallas*, ſive *Minerva*, quam velut artis regulam ac normam de induſtria exhibeo: Facta eſt ex nitente & candido marmore Orientis. Vultus pulcher & heroi congruens, ipſam quaſi Virtutem loquitur: *Caput galea tectum* eſt, quia cerebrum (ex quo Palladem natam, memoriæ prodiderunt) adverſus omnes noxas, ac læſiones, ſemper muniri debet. Ante eandem *capita duo arietum* conſpiciuntur, ad quosvis fortuitos impetus excipiendos; quibus omni non modò contentione, ſed etiam dimicatione reſiſtere valeat; ſi fortè opus ſit. In galea *Sphinx* recubat, præteritarum ſimul ac futurarum rerum imago; quam Clearchus caput & manus puellæ, corpus canis, vocem hominis, caudam draconis, leonis ungues, alas avis habuiſſe ſcripſit. *Tunica* illius *candida*, ſive veſtimentum interius, *ſulcis rugarum minoribus conſtans*, habitus eſt virginis Veſtalis; puriſſimæ caſtitatis indicium. *Pectus* ejusdem *clypei* firmatur præſidio, in quo *caput Meduſæ, cum ſerpentibus*, adverſus calumniatores, apparet. Mirificum fuiſſe hujus Deæ clypeum, miróque artificio extructum, inquit Natalis Comes; cujus formam ita deſcribit Virgilius libro octavo:

> *Ægidáque horrificam turbatæ Palladis arma,*
> *certatim ſquamis ſerpentum, auróque polibant;*
> *connexósque angues, ipſámque in pectore Divæ*
> *Gorgona deſecto vertentem lumina collo.*

Nam ubi illud ſcutum concuteret, mirificum terrorem illis incutiebat; aut contra quos in bellum prodibat. *Pallium* illius *purpureum*, quo Romani *Conſules* amiciebantur, prudens conſilium, unicum virtutis fulcrum, denotat: Ceu *ſerpens* ipſe prudentiam ſimul innuit. *Haſta* defenſionis telum eſt, quo mala longiùs repelluntur. Verbo: Inter omnes veſtitas ſtatuas unica hæc pro pulcherrima, magnifica, & maximè ingenioſa habetur; quam in porticu Principis *Juſtiniani*, cujus gloriæ tunc Romæ opera ac labore meo deſerviebam, ſingulari ſtudio delineavi; in magno ſemper pretio habitam, &, dum nos habebimur, porrò habendam.

FLO-

FLORA.



I. D. Sandrart del.
R. Collin sculp. Antverp.

DEa hæc à Romanis in honore habita, quam floribus præeſſe volebant, à Græcis χλωρὶς dicitur, ſi præter Homerum Ovidio credimus, in quarto Faſtorum: *Chloris eram, quæ Flora vocor.* Florentibus frumentis præpoſita, ait Auguſtinus, & Varro. Fabula variè narratur: Quidam (ait Gyraldus) in ædituum Herculis & ſcortum referunt, alii in Laurentiam. *Floram* & *Faulam* Lactantius diſtinguit; ita enim, cum de Laurentia Fauſtuli locutus fuiſſet: Nec hanc ſolam Romani meretricem coluerunt, ſed *Faulam* quoq;, quam Herculis ſcortum fuiſſe, Verrius ſcribit. Mox paulò ſubjungit: *Flora* cùm magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, Populum Romanum ſcripſit hæredem, certámq; pecuniam reliquit; cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant *Floralia:* Quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præeſſet; eámq; oportere placari, *ut fruges cum arboribus aut vitibus benè proſperéq; floreſcerent,* teſte Lactantio. In ludis Floralibus, quarto Calend. Maji celebratis, omnes nequitiæ & laſciviæ nudis mulieribus peragebantur: Quamobrem Cato iſtos ingreſſus, ob ſeveritatem ac gravitatem eſt abire compulſus, à Favonio monitus. Martialis in primo, de jocoſæ ſacro Floræ:

Noſſes jocoſæ dulce cùm ſacrum Floræ,
feſtósque luſus, & licentiam vulgi,
cur in theatrum, Cato ſevere, veniſti?
An ideò tantùm veneras, ut exires?

Fuit, teſte Plutarcho, *ſimulachrum Floræ* in æde Caſtoris & Pollucis, à Praxitele ſumma induſtria formatum, *multis coloribus* (quia nullus color eſt, qui in floribus non reperiatur) *tunica* indutum; in cujus Deæ *dextra flores fabarum & ciceris* fuerunt. Scribit Porphyrion, in Floralibus Ædiles *cicer & fabam* populo ſpargere ſolitos. Quàm propè hæc accedit ad ſimilitudinem illius ſtatuæ? quàm vaga ac volitans hujusdem tunica eſt? Quàm honeſtè reliqua corporis membra denudantur? Quàm decenter ſecum colludunt artus? Altera manu *florentem,* altera interiorem *tunicam* tenet; *nexus* corrugatas muliebris *habitus plicas,* non minus eleganter, quàm accuratè exprimit; & ipſa quaſi levitas, ob artem gravis, nec ingrata eſt, in *palatio* extans *Farneſiano.*

SA-

SABINA



I. v. Sandrart Delin.

SAbinorum virgines, quas Romulus rapuit, viros ſuos adeò dilexerunt, ut pacem inter Tatium & Romulum, hoc eſt, inter Sabinorum Romanorúmque Reges facerent: Ita Juvenalis, in ſexta, de uxore, vel Sabinis caſtiore, ducenda:

Si formoſa, decens, dives, fœcunda, vetuſtos
porticibus diſponat avos, intactior omni,
crinibus effuſis, bellum dirimente Sabina.

Belli iſtius diremtionem Florus libro ſtatim primo recenſet: Matrimonia Romanorum à finitimis petita; quia non impetrabantur, manu capta ſunt. Simulatis quippe ludis equeſtribus *virgines*, quæ ad ſpectaculum venerunt, *præda* fuere. Et *hæc ſtatim cauſſa bellorum*. Sabinis proditæ portæ *per virginem*. Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, *atrox* in ipſo foro *pugna*: Tandem *ſævientibus intervenere* raptæ, *laceris comis*. Sic *pax facta* cum Tatio, fœdúsque percuſſum: Secutáque res mira dictu, ut relictis ſedibus ſuis novam in urbẽ hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis avitas opes pro dote ſociarent. Raptarum hiſtoriã *Sabina* familia in nummis, apud Goltzium, conſervavit: Ab altera enim parte *duo juvenes Romani*, raptas ferentes virgines, conſpiciuntur; ſubſcriptum eſt, L. TITVRI: Ab altera imago *T. Tatii* Sabini, & à cervice cognomen, SABINVS; & ſub mento literæ T. & A. ſibi implexæ, quæ TATII nomen indicant. Quare mulieres Sabinas iterum laudavit Juvenalis, in decima: - - - *Rara eſt concordia formæ,*

atque pudicitiæ; ſanctos licet horrida mores
tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.

Idem affirmavit Martialis, in primo: *Caſta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis.* Nec non, in nono: *puella ſimplex, Quam caſtæ quoque diligunt Sabinæ.* Imò ipſe Horatius, exempla pudicitiæ & amoris à mulieribus ruſticis ſumens, Epodon ſecundo dixit: *Quodſi pudica mulier in partẽ juvet*
domum, atq; dulces liberos,
Sabina qualis, aut peruſta ſopernicis uxor Appuli. (lib 9

Non ovum ovo ſimilius, quàm huic eſt Statius, in quinto Sylvarum: *Velut Appula conjux Agricolæ parci, vel ſole infecta Sabino.* Poſtremò ſtatuam hanc, in *Principis Juſtiniani* ambulacro, non indiligenter contemplantibus matrona arridebit honeſtiſſima, quoad habitum, & membra corporis, ſingulari judicio tàm ſcitè compoſita, ut ipſa ars naturæ de præſtantia, quaſi controverſiam facere videatur.

SIBYLLA CUMANA:





QVinta Sibylla *Cumana* fuit, nomine *Amalthea*; quæ ab aliis *Demophile*, vel *Herophile* nominatur: Suidas *Hierophilen* dicit. Fuit autem hæc, quæ novem, vel (ut aliis placet) tres libros Sibyllinorum oraculorum ad Tarquinium Superbum detulit. Hanc Solinus, poſt Delphicam & Erythræam, vaticinatam fuiſſe tradit; cujus ſepulchrum ſua ætate in Sicilia manſiſſe refert: Eam verò non *Eryphilen* vocat, hac enim appellatione *Erythræam* afficit, quam *Cumana* antiquiorem fuiſſe opinatur. Hæc autem, quæ Superbo (ſi modò verum eſt) libros obtulit, vixit olympiade quinquageſima quinta. Id etiam ſignificare videtur Virgilius, ecloga quarta:

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas.

Sed *duas* Sibyllas *eodem* ferè *cognomine* fuiſſe Onuphrius exiſtimat, *Cumæam* & *Cumanam*: CVMÆA erat, quæ *Cumis vaticinata* eſt, tempore belli Italici, ex Cimmerio Campaniæ oppido orta; ad quam Æneam divertiſſe, Maro perhibet: CVMANA autem fuit, quæ *Cumis oriunda*, longo tempore pòſt vixit, librósque Tarquinio apportavit. *Cumis* enim plures mulieres longo & perpetuo tempore vaticinatas fuiſſe, credibile eſt, quæ *omnes Sibyllæ* vocitatæ ſunt; illuc profectæ, vel ut peritiores divinandi fierent Apollinis oraculis, quem illic maximum templum in ſpecu habuiſſe conſtat: Vel ut ejus ſacris præeſſent, quæ non niſi à mulieribus perfici mos erat; quæ omnes poſtea, ab urbe proxima, ſive *Cumæ* ſive *Cumanææ* vocatæ ſunt. Ariſtoteles (ſi modò liber de Naturæ miraculis ejus eſt) ſpeluncam narrat eſſe *Cumis*, urbe Italica, ubi Sibyllæ domicilium fuiſſe monet; quam multi Erythræam eſſe putant, & incolæ *Cumæam* nominant, haud dubiè patriæ favore, aut certè de alia ſentientes. Ad habitum ſtatuæ hujus in palatio *Juſtiniani* reſpicientes, facili conjectura aſſequentur, *perſonam* hanc eſſe magnæ dignationis, & *ſapientem*, & penſiculatiùs, ad inſtar Sibyllarum, res ſuas æſtimantem; cujus *honeſtatem vultus* indicat. *Decori geſtus* ſunt, corporis partes nullæ *aperiuntur*, præter *collum*, aliqua tantùm ex parte. Diſcrimen ipſius artis in ſingulis partibus luculenter apparet, quam antiqui artifices ſingulari ſtudio, & circumſpecta cura imprimis obſervarunt: Conveniunt omnia, incongruum eſt nihil.

BACCHANS



for study purposes only. The Library of the Royal College of Physicians Edinburgh



Iberi patris fæminæ plerunque fuerunt, quæ nunc ab insania *Mænades*, nunc ab impetu ac furore *Thyades*, vel à *Thya*, quæ prima sacra Bacchi instituit; nunc ab intemperantia, morúmque pravitate, *Bacchæ* vocabantur. Dictæ sunt & *Mimallones*, quia Dionysium imitarentur; nam in montibus plerunque versantes leones manibus secum adducebant, aliásque feras: Deinde iis crudis vescebantur, terrámque ferulis percutientes, aut saxa, cùm sitirent, vinum, vel lac, vel mel scatere faciebant; angúesque habebant pro zonis, comis implicitos. Agebantur verò istius Dei sacra à mulieribus, quòd illas habuisset socias in Indica expeditione; quæ nimirum dictæ sunt *Bacchæ* ab insanis *clamoribus*: Currebant enim cum tædis & funalibus accensis per noctem, quibus utebantur in illis sacrificiis; atque crinibus passis ita *clamabant* currentes, *Euhæ*, quæ voces erant feliciter ac benè precantium. His postea vocibus in unum compositis, *Euhæus* Bacchus vocari cœpit: Deinde *Euhyjus*, sive bonus filius; quia, cum Gigantes bellum Jovi intulissent, in leonem versus unum eorum prior laniaverit, ac discerpserit. Ea re præclarè gesta Jupiter lætatus dicitur Dionysum Bonum filium vocasse. *Trietericorum* [quia *tertio anno* ab Indica navigatione revertisset] sacrificiorum & tempus, & instrumenta, & habitum Baccharum demonstravit Ovidius, in sexto Metamorph. ubi de Rhodope:

Nocte sua est egressa domo Regina, Deique
ritibus instruitur, furialiáque accipit arma.
Vite caput tegitur, lateri cervina sinistro
vellera dependent, humero levis incubat hasta.

Nam his armis instructæ, cum vociferatione discurrentes crinibus passis divinare, ac res futuras prædicere credebantur. Denique hæc ipsa *Justiniani Principis* statua marmorea, morem indicat, quo racemorum, aut uvarum quoque vinculis frontem constringebant, ob dolores capitis mitigandos. Altera manu *uvam* porrigit, *brachium trunco, pyrola* & *serpente obvoluto*, fulciens; quia *vinum*, ceu *pyrola* semperviridis, utrámque ætatem viribus auget ac renovat; &, si nimium illud sit, in modum *serpentis*, morsu nocet, atque enecat. Vestem quasi vitream scalptoris manus tàm ingeniosè expressit, ut muliebris corporis membra, sine dedecore, ab omnibus conspiciantur.

VESPA-

VESPASIANVS ET DOMITILLA.



FAVNORVM SACRAFICIVM.



IACOBI ET RAHELIS DESPONSATIO

VESTALIVM SACRIFICIVM.





DESVLTOR MILITARIS.





Iguras quinque, ſima ſcalptura expreſſas, in hac ipſa tabula conſideremus: *Prima* oſtentat *Fl. Veſpaſianum*, & filiam ejus *Domitillam*; quam adhuc privatus amiſerat, à Domitiano fratre dein conſecratam: Hinc Onuphriana inſcriptio, in qua ASCONIA. C. F. AVGVRINA. SACERDOS. DIVAE. DOMITILLAE. appellatur. Has duas verò imagines ſmaragdus, in biblitheca Barbarina, exhibet; Domitilla inſigni velut *Cereris veſte* adornata eſt, *ariſtas* dextra continens, publicæ tranquillitatis ſignum. Sequuntur *duæ aliæ* figuræ, *Fauni* ſcilicet, *caprum* Baccho immolaturi; quia is, ut tradit Pauſanias, vites corrodit ac perdit. Hunc in ſenſum Ovidius:

Rode, caper, vitem; tamen hinc, cùm ſtabis ad aram,
in tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Reliqua *tria* cimelia inter antiquitates meas aſſervantur: *Primum* Patriarcham *Jacobum* indicat, in Meſopotamiæ urbem Haran profectum; ut inibi Rahelem ſuam, Labanis filiam, conjugem futuram, amplecteretur. Rarum omninò monumentum, ex ære; cùm pauciores Veteris Teſtamenti hiſtoriæ, hoc ritu explanatæ, habeantur. *Alterum* quoque æreum *Veſtalem* exprimit, non minoris pretii, nec dignitatis. *Vltimum* verò *duos* Romanorum *deſultorios equos*, in metallo apparentes, complectitur; nam *paribus equis*, hoc eſt, duobus Romani utebantur in prælio, ut ſudante altero deſilirent in ſiccum, inquit Feſtus. Quamobrem & Livio *Deſultores* dicti, qui alterum equum attrahunt; in quem celeriter tranſilire, ubi res poſtulat, poſſint. Hos Græci ἀμφίππους, ἀδαβάτας & ἀποβάτας appellabant. Quare Cicero pro Murena: *Neſcio, quo pacto mihi videtur Prætorius candidatus in Conſularem*, quaſi deſultorius *in quadrigarum curriculum incurrere*. Nam, ſi Suetonio in Cæſare credimus, Circenſibus quoque *quadrigas bigásque, & equos deſultorios* agitaverunt nobiliſſimi juvenes. Livius quoque hunc morem ſignificat his verbis: *Semel quadrigis, ſemel deſultore miſſo*. Nec minus accuratè, quàm eleganter Propertius:

Eſt etiam aurigæ ſpcies Vertumnus, & ejus,
trajicit alterno qui leve pondus equo.

VA-

Antich Gefäße mit einem Opfer der Ephygenia im Palast de Medices.

J.G. Waldreich

ANtiquiſſimas illas haud inglorii nominis ſtatuas inſigne illud *vas, è Græco marmore,* excipit, ; cujus adſpectu intuentium oculi paſcuntur, & mirificè delectantur : Quare &, *in atrio palatii Medicei, Romæ* erectum, ſemper in laude verſatur, & gloria circumfluit. Imagines circa illud ſculpturaſima *[baſſo relievo]* factæ, *Iphigeniam virginem, ad aram Dianæ, unà cum duobus altis & excellentibus viris,* hoſtia hac orco fortè ſacrificaturis, haud obſcurè indicant. Cùm enim *Agamemnon* in Aulide cervum *Dianæ* imprudens occidiſſet, Dea, indignata contrariis flatibus Græcorum navigationem eſt remorata. Qua de re cum vates conſulerent, reſponſum eſt, Agamemnonio ſanguine Deam eſſe placandam. Hinc Lucanus, libro primo, rem ipſam breviter attigit:

Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta,
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianaſſæo repararent ſanguine fœdè.

Euripides luculentiſſimam tragœdiam compoſuit de ipſa Iphigenia in Aulide, in qua omnem hanc ſacrificii crudelitatem declarat. Miſſus igitur *Vlyſſes,* Iphigeniam aſtu à matre abduxit, *Achilli* eam nupturam ſimulans : Cúmque jam immolanda eſſet, Diana ejus miſerata, cervam, vel (ſecundum alios) urſam, aut juvencam, aut anum edentulam pro ea ſuppoſuit ; virginem verò in *Tauricam* regionem transtulit : Ubi à *Thoante* Rege ejus Deæ ſacris præfecta eſt. Quò cum poſtea *Oreſtes* furiis agitatus veniſſet, jámque eſſet immolandus, à ſorore agnitus & liberatus fuit.

Nec laude ſua privari debent *vas alterum, operculo tectum,* artis ipſius honeſtamentum ; itémque à dextris *epiſtomium* illud, *fonti* (ceu videtur) *ſuperimpoſitum:* Pro indicio enim nobis eſt ipſe *delphinus,* qui nudam *Sirenem* totius *corporis ſui circumflexu* arctè *complectitur ;* atque ea viciſſim, velut captiva, *expanſis* & quaſi conſtringentibus *brachiis* ita *delphinum comprimit,* ut *aquas* ructando *evomere* cogatur. Sirenum (quæ partim beluæ, partim virgines videbantur) fabula docet, carnis delicias in exitium detrudere miſeros mortales ; & monſtris ſimiles eſſe, qui cupiditati, nec rationi parent : Cum altera pars eorum homo, altera bellua ſit.

L. ANN. SENECA



I. D. Sandrart delineauit

R. Collin sculpsit Antuerpiæ



Annæus Seneca, gente *Hiſpanus*, *Cordubæ* natus, Imperatoris ſæviſſimi, *Neronis*, *educator & præceptor* fuit. Quàm clarus ille Vir nec incelebris Philoſophus extiterit, ſcripta ejusdem nobiliſſima ſatis & abundè teſtantur; quorum nonnulla in gratiam Neronis exaravit, ut iis doceretur, & ſanior fieret. Succeſſu verò temporis ab Imp. *Claudio* in inſulam *Corſicam* relegatus eſt, ob ſuſpicionem conſvetudinis, quam cum Claudia, uxore Germanici, habuiſſe credebatur. Ibi per integrum *octennium exul* degens, ſedulam ſtudiis ſuis operam dedit. *Romam* poſtea reverſus, *Quæſturam* primò (materteræ ſuæ ſuffragio) geſſit; deinde *Prætor* anno Urbis DCCCII. fuit. Pater ingentes ipſi opes reliquit; pleraſque etiam ex Principis magnificentia habuit, nimirum *ſeptuagies quinquies centena millia Philippicorum:* Honores autem & divitiæ nec ſuperbum, nec adulatorem aulicæ artes effecére. Ad vitæ ſectam quod attinet, Philoſophiæ *Stoicæ* magno impetu ſe dedit, integer vitæ ſcelerísque purus. Cum autem non aliud ſupereſſet, poſt matrem fratremque interfectos, quàm ut necem Senecæ adjiceret Nero; ei neceſſitatem ultimam denuntiari juſſit: Neque hanc exhorruit, ſed interritus lacrymas ſuorum modò ſermone, modò intentior, in modum coërcentis, ad firmitudinem evocavit. Et quoniam voluntate tyranni iſtius mortis decus eligere ipſi licuit, ſolio inſedit, brachia ferro exolvi, crurum quoque & poplitum venas abrumpi paſſus: Ubi multa *de immortalitate animæ* velut in commune diſſeruit, & noviſſimo quoque momento, ſuppeditante eloquentia, advocatis ſcriptoribus pleraque tradidit; donec is, ſenſim ſine ſenſu, expiraret. Hæc vetus, inquam, ſtatua, anatomiæ veluti ſchola & magiſtra unica, è nigro ac pretioſo lapide, manu artificis affabrè facta, quæ ſenile, & ad ſummam maciem deductum corpus, vultúmque morientis exprimit, Romæ adhuc, in hortenſi palatio Cardinalis Borgeſii conſpicitur. Illam manu mea delineavi, &, ob ſingulare ejus artificium, oculis curioſorum ſubjicere haud ſuperſedi.

PÆTUS et ARIA



I. D. Sandrart delineauit

R. Collin sculpsit Antverpiæ



Andem averſo exhibemus modo *Pæti & Arriæ* ſtatuam, quorum integram ferè hiſtoriam ſuprà retulimus; velut ex abundanti, judicium additu-ri Plinianum, *alia eſſe clariora, alia majora.* Eadem Arria apud Claudium, uxori Scriboniani, cùm illa profiteretur judicium, *Ego,* inquit, *te audiam; cujus in gremio Scribonianus occiſus eſt, & vivis?* Ex quo manifeſtum eſt, ei conſilium pulcherrimæ mortis non ſubitum fuiſſe. Quin etiam cùm Thraſea, gener ejus, deprecaretur, ne mori pergeret; intérque alia dixiſſet, *Tu vis ergo filiam tuam, ſi mihi pereundum fuerit, mori mecum?* reſpondit, *Si tandiu, tantáque concordia vixerit tecum, quàm ego cum Pæto, volo.* Auxerat hoc reſponſo curam ſuorum; attentiùs cuſtodiebatur: ſenſit, &, *Nihil agitis,* inquit, *poteſtis enim efficere, ut malè moriar; ne moriar, non poteſtis.* Dum hæc dicit, exiluit cathedra, adverſóque parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata, *Dixeram,* inquit, *vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam; ſi vos facilem negaſſetis.* Videntúrne (dicit Plinius nepoti ſuo) hæc tibi majora illo: *Pæte, non dolet,* ad quod per hæc perventum eſt; cùm interim illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert. Quàm multum intereſt (ait, in ſexto, ad Macrum ſuum) quid à quoque fiat! Eadem enim facta claritate, vel obſcuritate facientium aut tolluntur altiſſimè, aut humillimè deprimuntur. Navigabat idem per Larium, cum ſenior amicus oſtendit ei villam, atque etiam cubiculum, quod in lacum prominet: *Ex hoc,* inquit, *aliquando municeps noſtra cum marito ſe præcipitavit.* Cauſam requiſivit. Maritus ex diuturno morbo, circa velanda corporis, ulceribus putreſcebat: uxor ut inſpiceret, exegit; neque enim quenquam fideliùs judicaturum, poſſétne ſanari. Vidit, deſperavit; hortata eſt, ut moreretur, comésq; ipſa mortis, dux imò & exemplum, & neceſſitas fuit: Nam ſe cum marito ligavit, abjecítque in lacum. Quod factum ne Plinio quidem, qui municeps, niſi proximè auditum fuit; non quia minus illo *clariſſimo Arriæ facto,* ſed quia minor ipſa. Hujus claritatem Martialis hoc illuſtravit epigrammate, in primo:

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
ſed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

CV-

CLEOPATRA



study purposes

Jaudrart delin.

Richard. Collin. Sculpsit Antverpiæ.



Egypti Regina, *Cleopatra*, Ptolemæi Dionyſii ſive Auletæ filia, ſoror & uxor Ptolemæi ultimi, mulier impudiciſſima, à *Jul. Cæſare* (cùm Alexandriam, atque adeò univerſam Ægyptum ſubegiſſet) primùm adamata; cui filium *Cæſarionem* peperit: Cùm autem, occiſo Cæſare, inſana ſua libidine *Antonium* faſcinaſſet, Propertio teſte, in tertio elegiarum:

Conjugii obſcœni pretium Romana popoſcit
mœnia, & addictos in ſua jura patres.

Is enim Octaviam uxorem, Auguſti ſororem, quæ ipſum mira benevolentia complectebatur, repudiavit, & Cleopatram juſtæ uxoris loco habuit. Quod cùm ægrè ferret Auguſtus, Antonium hoſtem à ſe declaratum difficili bello implicuit, & navali pugna ad Actium, Epiri promontorium, vicit. Unde Virgilius, primo Æneidos:

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo deſuper.

Antonius, omni ſpe recuperandi imperii dejectus, in Ægyptum fugit; verùm cùm ſe obſeſſum, & ab omnibus ſociis deſertum videret; manus violentas ſibi intulit. Ejus exemplum imitata Cleopatra, ne viva in hoſtis poteſtatem veniret, & per ludibrium, Romæ, in triumpho circumduceretur; admotis ad venas aſpidibus, mortem ſibi conſcivit, ut ait Statius, in tertio Sylvarum:

Anguiferámq; domum, blando quæ merſa veneno,
Actias Auſonias fugit Cleopatra catenas.

Huic Auguſtus (ut refert Suetonius) quam ſervatam triumpho maximè cupiebat, etiam Pſyllos admovit, qui venenum ac virus exſugerent; ſed fruſtrà: Ambobus igitur communem ſepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipſis inchoatum perfici juſſit. Vice autem iſtius imago ſaltem triumphabatur; cujus *alteram* quidem ſtatuam, ejusdem formæ, in *horto Mediceo*, *alteram* verò ſub exitum longioris deambulacri, *Belcadere* dicti, ceu Fontinalem aliquam fonti ſuperimpoſitam offendi: Hæc humanam ſuperans ſtaturam, moriturientis faciem, imò amplitudinem, & quaſi quandam exaggerationem quàm altiſſimam animi repræſentat; quæ maximè eminet contemnendis & deſpiciendis doloribus: *Elata ſurſum brachia, pectus decenter renudatum, pedes in transverſum poſiti*, & reliqua corporis membra linteo honeſtè tecta; quæ ars æmula naturæ veritati ſimilia explicuit, intuentium oculos infinita voluptate afficiunt.

CVPI-

CVPIDO



I. D. Sandrart delineauit

R. Collin. sculpsit Antverp. 1671

Warburg Institute

At Aristoph
periſſe ſcri
ſtus, omne
runt, qui C
ſit Orpheus
exiſtimavit
ſtis & Æth
Orpheus ta
nere ortos a
Cupidines è c
primus Mer
curio & V
Hi etſi plu
tamen *ad u*
ſa ſunt, tr
rius *Lænar*
cit *Cupidine*
illi induce
tos fuiſſe C
alatus Cup
cherrimu
rilis ætas, n
etas, dolo
antiquis p
niam; ut
mine abh
Romæ, i
humanæ
quo præc
lantes, dul
ſimi *corp*
rationem

HEſiodus, in ſua Theogonia, videtur *Amorem*, ſive *Cupidinem* ante omnia ex illa informi materia, quæ Chaos dicta eſt, in lucem eduxiſſe; nam ſtatim poſt terram natus eſſe traditur

dulce Deûm, paritérque virûm, gratúmque Cupido
ſolamen, qui corda domat, mentésque feroces.

At Ariſtophanes, in Avibus, Noctem Zephyrium ovum peperiſſe ſcribit, è quo natus ſit Cupido; qui, cum Chao miſtus, omne Deorum genus ex illo excitaverit. Nec defuerunt, qui Cupidinem Saturni filium fuiſſe dixerint; ut ſenſit Orpheus: Sed Sappho poëtria Cœli ac Terræ filium exiſtimavit, Simonides Martis & Veneris, Acuſilaus Noctis & Ætheris, Alcæus Contentionis & Zephyri. Idem Orpheus tamen omnes *Amores*, quos *plures* eſſe ſenſit, *è Venere* ortos autumat. Cicero, tertio de Natura Deorum, *plures Cupidines* è diverſis parentibus facit, ut in his ſcribit: Cupido *primus* Mercurio & Diana prima natus dicitur, *ſecundus* Mercurio & Venere, *tertius* eſt Anteros, Marte & Venere tertia. Hi etſi plures extiterunt, diverſíſque parentibus geniti, tamen *ad unum Veneris filium* omnia propè, quæ de *Amore* dicta ſunt, transferuntur. Præclarè igitur Arceſilaus ſtatuarius *læænam è marmore* feciſſe dicitur, circa quam *ludentes* fecit *Cupidines*; quam alii è cornu bibere cogebant, alii ſoccos illi inducebant, alii ſaxo alligatam fune tenebant; cùm, *multos* fuiſſe *Cupidines*, vellet ſignificare. Pingebatur ab antiquis *alatus* Cupido, cujusmodi illum Zeuxis pinxit Athenis pulcherrimum, roſis coronatum. Deformis *oculorum cœcitas, puerilis ætas*, minimè apta prudentiæ, & tam ſævi comites (ebrietas, dolores, inimicitiæ, contentiones) data ſunt eidem ab antiquis poëtis, ad exprimendam libidinis hominum inſaniam; ut nihil tantoperè ab ingenuo & benè inſtituto homine abhorrere videatur. Hujuscemodi verò ſtatuam Romæ, *in palatio* depinxi *Mediceo*; velut antiquiſſimam, humanæ haud diſparem ſtaturæ, & Græci artificis opus; in quo præcipuè *manus* agiles, *pilam amoris* luſu jocóque *jactitantes*, dulcè *ſubridens vultus*, *ac venuſtum* juvenis formoſiſimi *corpus* ſpectatorum oculis maximam movent admirationem.

MELEAGER



I. D. Sandrart del.

R. Collin sculpsit Anno 1671.



Eleager, Oenei Calydoniæ Regis filius, ex Althæa conjuge natus eſt, ait C. Stephanus; quo recenter nato viſa ſibi eſt mater *tres Parcas igni aſſidentes* videre, *manúque ſtipitem tenentes*, æqualem puero *cum ſtipite vitam* aſſignare: Recedentibus itaque Parcis, Althæa *extinctum ſtipitem* diligentiſſimè aſſervavit. Adulto dein Meleagro, contigit, ut pater ejus ex ſuſceptis frugibus *omnibus Diis* ſacrificaret, *omiſſa Diana;* quod ita breviter complexus eſt Ovidius, in octavo Fabularum:

Oenea námque ferunt plenis ſucceſſibus anni
primitias frugum Cereri, ſua vina Lyæo,
Palladios flavæ laticis libaſſe Minervæ.
Cœptus ab agricolis ſuperos pervenit ad omnes
ambitioſus honor, ſolas ſine thure relictas
præteritas ceſſaſſe ferunt Latoidos aras.

Quapropter Dea irata *aprum immiſit*, omnes Ætoliæ agros devaſtantem. Ad hunc igitur conficiendum *Meleager*, collecta robuſtiſſimorum juvenum manu, *aprum interfecit; caputque ejus Atalantæ*, Jaſii Argivorum Regis filiæ, quæ prima aprum vulneraverat, velut partem ſpolii, *dedit*. Quod ægrè ferentes Plexippus & Toxeus, Althææ frater, Atalantæ caput auferre conati ſunt: Quamobrem Meleager iratus eos obtruncavit, duxítque Atalantam in uxorem, quæ ei Parthenopœjam peperit. Nuntiata itaque fratrum morte, Althæa doloris impatientia in furorem verſa, *fatalem* illum *ſtipitem in ignem conjecit;* quo exuſto, Meleager etiam, *exuſtis intus inteſtinis omnibus*, conſumtus eſt. Homerus teſtatur, eam oraſſe Plutonem & Proſerpinam, ut filio mortem inferrent; ex quo manifeſtum eſt, iſtam magicis artibus uſam eſſe. Hanc ipſam fabuloſam hiſtoriam hîc intuemur, dum Meleager *ſub dextro brachio aprinum caput*, & *ſiniſtra* manu *venatoris cornu* tenet. Ex antiqua ſtatua, ſtaturæ hominis haud inæquali, delineatio facta eſt; cujus artifex *formoſum juvenem* formavit faberrimè.

GALATHEA



I. D. Saudrart delineauit.

R. Collin sculpsit Roma



Alateam, nympham marinam, *Nerei* & Doridos filiam, *Nerinen* ideò dictam, à *Polyphemo* fuisse adamatam, fama est; ut ait Theocritus in Cyclope. Istud autem contigit (ceu quidem Natalis ad suspicandum ducitur) quia Philoxenus Cytherius cùm eò adiisset, templúmque vidisset, Galateæ à Cyclope erectum; causam ignorans, Polyphemum illam amasse, & idcircò templum illud ei erexisse credidit: Ad hujus amoris remedium & fistula, & Musarum cantibus usus est Polyphemus. Dicitur autem is non modò amasse *Galateam*, sed etiam *Galatum* ex illa suscepisse; ut testatus est Bacchylides. Erat Polyphemus Cyclopum princeps, homo agrestis & ferus; & inter belluas potiùs quàm inter homines connumerandus: Quid enim deformius dici, aut commemorari potest, quàm si tantum Cyclopis corpus in spelunca prostratum, & frusta esorum hominum cum vino eructans, multóque vomitu pectus & barbam deturpatam, ac fœdissimè olentem, & ipsum Polyphemum inter eum vomitum jacentem, videremus? Quæ fortassis causa fuit, ob quam *Galatea* istum sperneret, *Acimque*, Fauni & Simæthidis nymphæ filium, pulcherrimum pastorem Siculum, ei præferret: Hinc indignatus Cyclops, rivalem saxo, de rupe avulso, interfecit; cujus Galatea miserta, in fluvium (aliàs fontem) sui nominis permutavit; qui in Ætna monte oriens, in mare Siculum defertur. Ovidius quarto Fastorum: *Præterit & ripas, herbifer Aci, tuas.*

Quamobrem & *Galateæ nomen* semper in delitiis poëtarum fuit, nec in ea laudanda ullus finis; quæ à Græco γάλα sic appellata est, ob *lactis candorem*, vel casei. Ita Martialis primo Epigrammatum:


Toto candidior puella cycno,
argento, nive, lilio, liguſto.

Postremò Virgilius, septima:

Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ,
candidior cycnis, hedera formoſior alba.

Inde Ovidius, secundo Amorum, uni *Galateæ* commendat *Corinnam* navigantem; tanquam *formoſa* curare *formoſam* debeat. Quare & in hac statua *perfectam feminei corporis formam, & vultus amœnitatem* pariter atque insimul contemplamur.

BELISA-


I. De Saudraet del.
R. Collin sculpsit Aug.

ACcuratè, ut ex majore parte ſolet, *Guinetus*: Recentiores aliquot Latini, ait, qui ut locos ſuos de invidia, aut fortunæ inconſtantia magnificentiùs implerent, neſcio quam *fabulam de calamitate Beliſarii* induxerunt: Scilicet, *poſt annos ampliùs nongentos*, quod nemo antè, in tanta Hiſtoricorum frequentia, memoriæ prodiderat, ſoli Numinis, an Sibyllæ beneficio acceperint; Beliſarium, maximis victoriis gloriosiſſimè fulgentem, adeò invidioſa luce nictantes adverſarios perſtrinxiſſe; ut eum collecta nube calumniarum obtexerint, de gradu dejecerint, *oculos* denique *in mendicitatem infeliciter præcipitato exculpſerint*: Ille verò ſe *in caſam, viæ publicæ conjunctam*, abdiderit, ut precario ſpiritu miſerabilem hanc vocem effunderet: *Date obolum Beliſario, quem virtus extulit, invidia excæcatum afflixit!* O fabulam! Nemóne inter tot conſanguineos, tot amicos, mendicæ infamiæ neceſſitate depreſſum exiguo ære ſublevabat? Nemo furtiva ſaltem pietate in iſtas incitas injectum eximebat? Sed enim Juſtinianus arctiſſimis cuſtodiis huic liberalitati aditus obſtruxerat; ille ſcilicet, qui cùm publicis nummis imaginem ſuam inſcripſiſſet, obverſæ parti Beliſarium cum hoc elogio impreſſit: BELISARIVS ROMANORVM GLORIA. Denique ſatis illud errorem refellit, quod etiamſi *multi inter antiquos Scriptores* hiſtoriam Juſtiniani, plerunque *infeſto in hunc Principem animo*, literis conſignarint, *nemo hujus mendicitatis meminerit*. Quid multa? Juſtinianus proditionis culpam in humanam imbecillitatem & fortunæ crimen inclinans, Beliſarium non improbitate lapſum in priſtinam dignitatem erexit; qui deinde vitam, annis curísque exhauſtam, aliquantulum trahens, eò usque produxit, donec abiiſſe diceretur: Alii Scriptores hoc tantùm addunt, mortui bona in publicas rationes redacta fuiſſe. Nihilo tamen ſecius *recentiorum* ſecuti *narrationem* Statuarii *excœcatum* nobis dedere *Beliſarium*, qui hodiéque inter potiora *Principis Juſtiniani* monumenta *Romæ* conſpicitur: *Non aliter*, ait Quintilianus, *quàm diſtortis & quocunque modo prodigioſis corporibus apud quosdam majus eſt pretium, quàm iis, quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt.*

SI-

SIBYLLA.




F. D. Sandraert delineauit

R. Collin. sculpsit Antorp. 1614



Ibyllæ (ceu Varro teſtatur, & Lactantius) mulieres dicebantur *Deo plenæ*, quarum pectora, cum divinum Numen recepiſſent, vaticinabantur, *appellatæ à conſiliis Deorum nuntiandis*: Æoles enim Σιὸς *Deos* dicunt, & βυλὴν *conſilium*, ſive ſententiam. Ergo *Sibyllæ* quaſi *Sibulæ* dictæ, id eſt, quæ *Dei conſilia* mortalibus enuntiant. Quot autem, quibusve locis aut temporibus, fuerint, magna (monente rurſus Onuphrio) inter Scriptores diſſenſio eſt; alii enim tantùm *unam*, alii *tres*, alii *quatuor*, alii *decem*, aut etiam *plures* Sibyllas fuiſſe, dixerunt: Quidam præterea Græcorum conati ſunt ex illis facere, quod de Jovibus, Herculibus, Minervísque, & aliis Deis fecerunt; qui cum multi fuiſſent, unum tantùm prodidere: Quidam ante Trojana tempora Sibyllam fuiſſe, quidam ipſius Trojæ excidio, Græcísque vaticinatam, Ilium periturum; alii verò, longè poſt vixiſſe, ſcribunt: Nonnulli eandem *Erythræam* fuiſſe tradunt, quidam *Siculam*, alii *Sardinicam*, alii *Gergethicam*, alii *Rhodiam*, alii *Libycam*, alii *Leucanam*, alii poſtremò *Samiam*. Ælianus, in Hiſtoria varia, quatuor Sibyllas aſſerit: *Erythræam* (de qua, magna ex parte, omnia opinati ſunt) *Samiam*, *Ægyptiam*, & *Sardianam*. His alii duas, *Judæam* & *Cumanam*, adjungunt, ut ſint ſex. Plinius auctor eſt, Romæ in foro, juxta roſtra, *trium Sibyllarum* fuiſſe *ſtatuas*, cœteris minores: Ex his *unam* Pacuvius Taurus, Ædilis plebis, inſtituit; *duas* verò reliquas M. Valerius Meſſalla, augur; quarum nomina Solinus refert: *Una* enim ex his *Cumana* erat, quæ Cumis vaticinata, libros L. Tarquinio Superbo, Romano Regi, attulit; cujus ſepulchrum in Sicilia diu manſit: *Altera Delphica*, quæ ante Trojana tempora; *tertia* porrò *Erythræa*, quæ poſt Trojana bella vixit, & Lesbiis imperium maris amittendum prædixit. E tribus igitur illis hanc fuiſſe ſtatuam, credendo fidem non abnegabo; admiratus ſæpè *magnificentiam* ejus, & *veſtem*, & *plicas* perfectiores; qua *palatium Mediceum* maximè ſuperbit ac fulget.



J. D. Sandrart delineauit

R. Collin sculpsit Antverp.



N eodem Palatio, Romæ, ipſius *Poëſios ſtatua* ſpectatores ad ſe allicit, *dextra volumen chartæ* exhibens, *caput lauro* redimita, & inferiùs *ſubvolantem cygnum* innuens. Scriptum enim reliquit Pauſanias, in Atticis rebus, *Cygnum* fuiſſe Regem illorum Ligurum, qui habitarunt in Gallia Tranſpadana, *laude muſicæ* artis & cognitionis clarum; qui ubi mortuus eſſet, dicitur *ab Apolline* in avem ſui nominis mutatus; vel, ut aliis placet, poſt mortem Apollini, Muſicorum Deo, eſſe conſecratus. Lucianus in eo dialogo, qui Cygnus inſcribitur, *aſſeſſores* fuiſſe *Apollinis cygnos*, commemorat; & amicos homines, *muſicæ peritos*, qui cùm mortui eſſent, fuerunt in aves ſui nominis mutati ab eodem. Porrò *Hermaphroditi* formam præ ſe ferens utrumque denotat, ſexum ad artem poëticam aptiſſimum. Hinc Muſæ virgines illæ, quarum octo tantùm cum agnoſcerent antiqui, matrem potiùs, aut nutricem arbitrabantur: Matrem verò *Mnemoſynen* autumabant eadem ratione, qua vetuſtiores *Memoriam*. Id quod pudicè ac verecundè, ut ſemper, innuit Maro, hoc verſu:

Et meminiſtis enim divæ, & memorare poteſtis.


Camœnæ verò *alatæ* effinguntur, ob ingenii muliebris præſtantiam, atque expromtam mobilitatem. *Argivam Teleſillam* ſummo loco natam, ait Plutarchus, fuiſſe affectam morbo; qui cùm Medicorum ope major eſſet, à Diis auxilium petere coactæ ab Oraculo reſponſum eſt, ita demum ſanitati reſtitutum iri, *ſi Muſas coleret*: Ad quas cum frequenti opera animum appuliſſet, ſtatim convaluiſſe. Mulieribus quoque ſua laus, inter quas *Sappho*, *Corinna* Pindari magiſtra, *Hedyle* mater Hedylogi poëtæ; ſive ille Samius fuit, ſive Athenienſis: Mater eadem Moſchyles, quæ item jamborum cantu floruit: *Megaloſtrata* quoque, quam amavit Alcman, & aliæ. De cætero nominis immortalitatem poëtæ conſequuntur, unde & *hedera coronabantur*, quæ folia non deponit, ſed victrix eſt vetuſtatis. Ita enim Horatius, primo Epiſtolarum:

-- -- -- Seu condis amabile carmen,
prima feres hederæ victricis præmia.

Nec *hedera* tantùm *coronati*, ſed etiam *lauro*; quoniam ſemper viret ac viget. Hinc iterum Flaccus, in Odis:

Laurea donandus Apollinari.

FAVNVS PVERVM AMPLECTENS.



I. De Sandrart del.

R. Collin sculp. 1677.

AMPLECTENS.



Auni, *puero amplexum* ſic ferentis, ſtatua, ex ære, vivi hominis ſtaturam aliquantum ſuperat, accuratum veteris cujusdam artificis opus; quod, in *palatio Mediceo*, ante oculos ſpectatorum ſuorum eſt: Convenientia enim partium perfectam viri juxta ac pueri ætatem æqua proportione exprimit, ſpectatu digniſſima. Ad ipſam verò mythologiam quod attinet, priſci ſapientes per *Faunum* quidem ipſum innuere *mundum*, per *puerum* verò *generationem* ejus, & *incrementa*, indicare viſi ſunt: Quare & *ſertum ex hedera* caput iſtius ambit, quæ herba eſt perpetuò virens; cúmque per ſe ſtare non poſſit, arboribus & muris, ceu *puer viro*, adhæret. Hoc præterea ſenſu in tutela Liberi patris putabatur eſſe hedera, quia ut ille *ſemper* eſt *juvenis*, ita hæc ſemper viret. Ideò autem ſacra Baccho, quia Ciſſus *puer* fuiſſe in ejus comitatu dicitur; qui cùm *ſaltaret cum Satyro*, humi lethaliter afflictus, ab eo eſt in hederam conformatus, quæ & κισσὸς Græcè vocatur, ut Conſtantinus in Geoponicis ſcribit. Verbo, planta hæc non ſolùm *juventutem*, ſed ſpontè florentem imprimis *germinationem* denotat; quoniam *citra cultum* ubivis *copiosè* provenit. Quamobrem & Faunus *agricolarum Deus* ab antiquis creditus fuit, filium habens *Sterculium*; qui primus *agrorum ſtercorationem* invenit. Quod verò Natalis ille Comes, *quam haberent formam Fauni*, ex antiquis Scriptoribus percipere non potuit; hanc ex ipſis ſtatuis videre eſt, ſine culpa tamen atque luxuria: Multi enim in earundem mercatu luxuriabant usque ad inſaniam, cùm voluptatum iſtarum deſiderium ultra facultatum modum extenderent. De quibus Romanus ſapiens, in Epiſtolis ſuis: *Quid inter pueros*, inquit, *& nos intereſt? niſi quod nos circa tabulas & ſtatuas inſanimus, cariùs inepti.* Id ipſum inſaniæ genus ſatyrico perſtricuit ſale Horatius:

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo.

APOL-

APOLLO.



I. De Sandrart del.

R. Collin sculps. Antverp.



Rat Apollo Latonæ Jovísque filius, ſiquidem Latona, à Jove compreſſa, uno partu Apollinem & Dianam peperit; ut ait Heſiodus in Theogonia. Quare Apollo ita gloriatur apud Ovidium, ſe è Jove natum eſſe:


- - - - mihi Delphica tellus,
& Claros, & Tenedos, Panopæáque regia ſervit;
Jupiter eſt genitor!

Multos autem fuiſſe Apollines ſcribit Cicero, libro tertio de natura Deorum, his verbis: *Apollinum antiquiſſimus is, quem paulò antè ex Vulcano natum eſſe dixi, cuſtodem Athenarum. Alter Corybantis filius, natus in Creta; cujus de illa inſula cum Jove ipſo certamen fuiſſe traditur.* Tertius *Jove natus, & Latona; quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse.* Quartus *in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant; quòd ab eo ſe leges ferunt accepiſſe.* Atque cùm tot Apollines fuerint, reliqui omnes ſilentur; omnésque res aliorum geſtæ ad unum Apollinem, Latonæ & Jovis filium, referuntur. Hic ipſe, inquam, cùm ob inventam citharam, & artem pulſandæ citharæ, magno in honore haberetur; à Marſia, Phrygio tibicine, in Nyſa civitate, apud Dionyſium Regem, in certamen muſices provocatus fuit: Ea conditione, ut victor victo, quodcunq; libuiſſet, imperaret. In iſto certamine igitur cùm *Apollo citharam* pulſaſſet, mox *ore* cantabat; at *Marſyas tibiis* inflandis tantùm erat peritus, quare etiam victus pœnas dedit ſuæ temeritatis. Fama eſt igitur, Marſyam, ubi cum Apolline decertans victus fuiſſet, de pinu arbore propinqua fuiſſe ſuſpenſum, & *excoriatum*; ut hi ipſi teſtantur verſiculi: *Provocat & Phœbum, Phœbo ſuperante pependit;*
cæſa receſſerunt à cute membra viri.

Illud cùm apud fluvium Midam (vel Mæandrum) priùs vocatum contigiſſet, effecit, ut *fluvius* deinceps *Marſya* diceretur; è cujus ſanguine nati ſunt Satyri: Pœnituit tamen celeriter Apollinem tantæ acerbitatis, quare chordas citharæ infregit. Quæ fabula inventa eſt, ad deprimendam ſuperborum & nimis elatorum animorum temeritatem. Hinc *culter* iſte in *dextra* Apollinis manu, & in *ſiniſtra* Marſyæ *caput*, & cuticula huic detracta. Admirationem denique merentur formoſa *hermophroditi* Apollinis proportio, & *vultus* Marſyæ, plenus inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis.

MAR-

MARSIYAS.



I. De Sandrart del.

R. Collin Calcogr. Reg. sculp.

HYagnidis hic fuit filius, ejus, qui primus omnium mortalium leges muſicas ad laudes Deorum, quibus in ſollemnitatibus Græci uſi ſunt, accommodavit. Qui rem etiam planiùs explicare voluerunt, addiderunt his, quod Nyſæi judices (Marſyas enim Nyſam, ad Regem Dionyſum, tunc pervenerat) ſunt electi; quo tempore is contendit cum Apolline: Nam primùm tibiis ita eſt uſus Marſyas, ut auditus ſtupore repleretur; apparerétque, ob ſuavitatem, longè præſtare adverſario. Cùm judicibus oſtentare ſimul artem decreviſſent, ajunt Apollinem rurſus *ad citharam cantum accommodaſſe;* quare vicit tibias repetitas: At ille nitebatur docere judices, quòd *præter omnem æquitatem* vinceretur; quòd *artis, at non vocis* comparationem fieri oporteret, ad quam cithara & tibiæ ſunt referendæ; non autem *res duas cum una* conferri oportere Apollo reſpondit, quòd nihil plus æquo obtineret; quia Marſyas, quod ſibi conveniret, feciſſet, cùm tibias inflaſſet: Oportere *hanc legem* igitur *utrisque* imponi, *ut vel ambo, vel nemo ore uteretur, ſed ſolis digitis proprium uſum oſtenderet.* Iſtud certamen commiſſum fuiſſe non procul à Celænis, ſive (ut aliàs vocatur) ab Apamea civitate, juxta lacum, in quo ad uſum tibiarum optimi calami gignuntur, ſcriptum reliquit Strabo: Hinc fama eſt, apud eundem lacum tibias à Minerva fuiſſe inventas; quas cùm illa inflaret, ſéque in lacu conſpexiſſet, oríſque turpitudinem vidiſſet, & tumorem, illas abjecit: *Secedite à me,* inquiens, *malæ corporis depravationes!* ut refert Athenæus. Has itaque cùm reperiſſet Marſyas, qui multò ante bella Trojana floruit, non ſolùm inflavit, cæterósque illarum peritia antecelluit; ſed etiam Doricæ muſicę poſteà, geminarúmque tibiarum fuit inventor. Hac ipſa autem fabula Athenienſes philoſophicorum ſtudiorum, præ muſica inſtrumentali tunc recens inventa, docuerunt contemtum; ob quem irata Pallas abjecit tibias, & Apollo Marſyam excoriare ſuſtinuit. Vtriusque ſtatua Romæ, in *Principis Juſtiniani* palatio diſcentes docet artifices, dum inter cæteras effulget ſplendidiſſimè.


SATYRVS.
I. D. Sandrart delineauit.
R. Collin. sculpsit Antverpiæ 1596.



Auni, vel Saturni filios fuiſſe Satyros, quidam crediderunt; Plinius animalia eſſe ſcribit velociſſima, quæ quatuor pedes haberent, in ſubſolanis Indorum montibus, humana effigie, ac rectè currentia. Hi manibus eſſe dicebantur aduncis, cornua habere in fronte; cùm pars extrema ſimilis eſſet caprarum. Pauſanias in Atticis refert, Euphemum, ex Caria in extremas Oceani partes delatum, in una inſularum, *Satyrida*, incolas rufos, & caudas habere intra clunes, haud multò minores equinis, reperiſſe. Illi ubi primùm adeſſe hoſpites ſenſerunt, currerunt ad naves; nulláque emiſſa voce in mulieres, quæ erant in navibus, impetu facto manus injecerunt: At nautæ trepidi barbaram mulierem, quam ſecum vehebant, expoſuerunt; in quam illi petulantiſſimè irruentes, undique appetiverunt. Similem *Licetus*, *Deuſingius*, alii, hiſtoriam de muliere recenſent, in inſulam deſertam, ob quoddam crimen, deportata; & à *grandiore ſimio* blandè in antrum ingens pertracta, ſed poſt aliquot annos Luſitana navi demum liberata. Plutarchus auctor eſt, talem Satyrum ad Syllam, è bello Mithridatico reverſum, fuiſſe adductum. In Suecica gaza *Carolus Ogerius* Gallus, Illuſtriſſimi Cl. Memmii, ad Septentrionis Reges Legati tunc Extraordinarii comes, *cornu* quoddam nigrum atque recurvum vidit, quod *Diabolicum* vocant; olim ab Equite quodam Sueco ipſi Diabolo, qui *Satyri*, aut hirci formam induerat, in ſingulari certamine avulſum atque ereptum: Ajunt enim, pium illum ac generoſum Equitem, cùm ſancta illa ac ſollemni nocte, qua Natalis Dominicus celebratur, ad Eccleſiam per lucum tranſiret, incidiſſe in ſtrigum choream, omnésque protinùs ad illius conſpectum evanuiſſe; unum relictum Dæmonem (Satyros enim antiquitùs quoque arbitrabantur eſſe Dæmonas, ac pro Diis colebant) cui, poſt acerrimam luctam *cornu* alterum abſtulerit: Quod poſtea *inſignibus* ſuis inſculpſerit, & à populo *Diabolus* cognominatus fuerit. Quare ad hunc usque diem illius poſteri, qui in Suecia ac Dania propagati ſunt, eo nomine, vulgò *Trolle*, appellantur. Iſtius verò Satyri ſtatua Romæ, ex albo marmore, ad æſtivalem domum, in horto quodam, eminet; *breve* ac ſolidum exhibens *corpus*, ídque *nervoſum* ſatis & *muſculoſum*.

CERES.

Digital Collection
Copyright Status
Study purposes only

CErerem Saturni & Opis filiam, sororémque Plutonis, & Jovis & Junonis fuisse, memoriæ prodidit Hesiodus in Theogonia. Crediderunt nonnulli, Triptolemum & Eubuleum fratres *sationem* à Cerere didicisse; quia illi primùm filiæ Proserpinæ raptum matri indicassent. Omninò autem *boves jungere*, & *arare* Ceres docuit mortales, ut testatur Orpheus, in hymno Cereris Eleusiniæ. Nec abs re Virgilius:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
instituit, cùm jam glandes atque arbuta sacra
deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.

Fama est præterea, quòd cùm fuisset apud Phytalum aliquando in hospitio, illi gratiam referens *ficum plantam* largita est; ut ait Pausanias in Atticis. Neque verò ficum solùm, aut *frugum sationem* Cereri (ceu Disæ Sueci, sub Rege Sigtrugo) tribuunt; sed *inventionem* omnium *leguminum*, præterquam fabæ: Quippe cùm de omnibus, à quibus comiter & liberaliter accepta fuit, dum Proserpinam quæreret, benè mereri studeret; ut scripsit Pausanias in Arcadicis: Neque tantùm ferendi rationem mortalibus tradidit Ceres, cùm inutilis fore videretur illa scientia; nisi, quo pacto *frumentum cæderetur*, & excuteretur, & è paleis secerneretur & frangeretur, didicissent *ad panem conficiendum*: Id quoque testatur Callimachus in hymno. Super hæc eandem Deam *legum inventricem* fuisse, præter Ciceronem actione septima in C. Verrem, scripsit Ovidius, in quinto Metamorphoseos:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
prima dedit fruges, alimentáq; mitia terris;
prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Significat & ipsum *Thesmophoriorum* nomen, quasi *legifera sacra* dicantur; quæ in honorem Cereris à Triptolemo primùm, pro accepto ferendi munere ac frugibus, in Eleusio oppido fuerunt instituta: Nam cùm frumenti semina inventa fuissent, homines, qui glandibus tantùm vescebantur, leges de regundis finibus rogarunt, quibus sua pars terræ cuique fuit assignata. Imago illa Cereris *in horto palatii Justiniani*, ante portam Flaminiam extans, altera manu *manubrium confractæ falcis* (quam à Vulcano expetivit, ut Titanes metere doceret) altera verò *aristas* tenet; cujus adspectu atque *vultu, nuditate* corporis, & concinna *veste* ingens artifex confestim indicatur.

MER-

MERCVRIVS





Mnium Deorum antiquorum vigilantiſſimum, Mercurium, ac maximè negotiis implicatum; quippe quem ne per noctem quidem dormire, negotiorum multitudo pateretur, Jovis & Majæ Atlantis filium fuiſſe, Orpheus, Homerus, & Heſiodus tradiderunt. Etſi verò plures fuerunt *Mercurii* (Cicero enim de Natura Deorum *quinque* numerat) tamen ad hunc unum res geſtas cæterorum transtulerunt, & *alatum* finxerunt; cui *gallus* aſſidebat, quem in ſuaſoria Galenus antiquos inquit pictores & plaſtas *juvenem formoſum*, ſine fuco, ac ſine aliquo comtu, *vultu hilari*, atque *acribus oculis* formaſſe. Hujus ſimulacrum Ægyptii partim *atra facie*, partim *aurea & clara* confinxere; quia modò ad ſuperos, modò ad inferos adiret. *Caduceus* illi dabatur cum *anguibus geminis*, mare ac femina ſcil., *mutuo connexu circumvolutis*, & concordibus; quorum *caudæ* demittebantur *ad capulum caducei*, qui concordiæ ſecuritatem ſignificabant. Multa porrò officia Mercurio fuerunt injuncta, quorum partem attigit Virgilius, quarto Æneidos:


Dixerat: ille patris magni parere parabat
imperio, & primùm pedibus talaria nectit
aurea; quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
ſeu terram rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam *capit; hac animas ille evocat Orco*
pallentes, alia ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimítque, & lumina morte reſignat.

At Ovidius, Faſtorum quinto, hunc pacis & belli arbitrum & autorem nuncupavit in his:

Pacis & armorum ſuperis, imiſque Deorum
arbiter, alato *qui* pede *carpis iter.*

Huic *ſtatuæ*, *præ foribus domorum*, ab antiquis erigebantur, quia fur credebatur cæteros fures noſcere. Deniq; cum antiqui, eloquentiæ & orationis quanta vis eſſet, vellent oſtendere, dixerunt, Mercurium eſſe nuntium Deorum & hominum: Inde creditus eſt etiam catenæ illi aureæ annexos homines auribus, quocunq; libuiſſet, attrahere. Mercurius verò hic in *palatio Juſtinianeo*, cujus *alatos pedes Cupido vinculis conſtringit*, opus eſt ſummi & cunctis laudibus majoris artificis, *Franciſci du Queſnoy*, Bruxellani; qui juvenis æquè ac puſionis (ætates eorundem ſi ſpectes) membra ritè, & accuratiſſima diligentia collocavit.

RO-


ROTATOR
CG Amling fculp



Oſtquam Magnus Hetruriæ Dux, *Coſmus Medices*, Senas, urbem longè pulcherrimam, opera *Germanorum, Gallorum, Italorúmque*, obſederat; exercitui recenſendo conjugem ſuam intereſſe voluit ſpectatricem. Quoniam verò Galli pariter ac Itali, morum civilitate, favorem & gratiam illius præ cæteris impetrarunt; Germani contrà, ipſa tunc transmeante, ſuos Herculaneis ſcyphis poſcebant, & vino ſomnóque merſi per campos hinc inde jacebant; animo irato & percito, Coſmum ſuum rogavit, ut porcinum iſtud hominum genus ab exercitu ſubmoveret, ſtatímque miſſum faceret. Magnus autem Dux ille, qui Germanorum animos virilitatis robore palliatos, magnæque conſtantiæ eſſe noverat, muliebre aſpernatus conſilium, parere abnuebat. Interea infeſtus exercitus in agrum Piſanum pergit, & duabus ſimul vicibus ancipiti terrore urbem illam aggreditur; cives mœnibus Gallos juxta ac Italos propulſant, ſaxis tormentísque propugnatores urbem tuentur: Affertur gravis hujusce mali nuntius Florentiam; mox curſor tertius, ut nuntiaret nuntium exoptabilem, ordine omnem rem victoriæ illuc perfert, ſolo Germanorum impetu vallum ſuperatum, urbémque captam eſſe. Coſmus Medices jam triumphans gaudio, ob amorem, quo Germanos ſuos proſequebatur, uxori, quæ in vehiculo unà fuit, colaphum (ſi fabula vera eſt) inflixit; quod omnibus illos contumeliis nuper oneraverat. Atque hanc ipſam vulgò cauſſam eſſe perhibent, ob quam Magni Hetruriæ Duces cum ſuis, ſcilicet non uno amplius curru vehuntur. Expugnationi verò occaſionem præbuit hortulanus quidam Piſanus, Italis *Rotatore*, vel *Ruotatore*, Latinis forſan *Acuminator* dicendus; qui obambulantium tunc in horto Senatorum de anguſtiis oppidi ſermones, dum falces acuebant, inaudiens, hos altero die in caſtris enuntiavit. Ut igitur memoriam illius viri exciperent omnes anni conſequentes, juſſu ipſius Ducis, *Michael Angelus Buonarotti* imaginem robuſtiſſimi hominis, unà cum acuminario ſaxo, ex albicante marmore (*l' Arrotatore* dictum) fecit: Quæ diutiùs *Romæ, in palatio Mediceo*, aſſervata, ſed non ita pridem Florentiam translata fuit.

PAN et NATVRA



L. De Sundrart del.

Richard. Collin Sculpt. Antv. 1677.

Hebrew Collections

HOmerus in hymnis ſcriptum reliquit, *Pana* fuiſſe Mercurii filium, & *bicorporem*, & *capripedem*; Achæus poëta *è cælo & terra* natum, ſenſit. Hunc memoriæ prodidit Pauſanias, in Arcadicis, à Nymphis ſuſceptum & educatum, & à Sinoë Nympha præcipuè; quippe cùm vel adultus cum illis aſſiduè verſari fingatur. Quare & *Nympharum*, ob fiſtulam circa iſtunc tripudiantium, *ducem* vocabant antiqui; &, ut ait Herodotus in Euterpe, pingebant atque ſculpebant pictores ac ſtatuarii, ſicut etiam Græci, Panos imaginem *caprina facie, & hirci cruribus*; quamvis iſtum non eſſe hujusmodi, ſed ſimilem Diis cæteris, arbitrarentur. Lucianus, in dialogo Panos & Mercurii, eidem quoque *hirci caudam* ſuper natibus injunxit; præter hirci *naſum* & *barbam*. Cæterum exiſtimarunt, Pana montium eſſe præſidem, omniáque armenta & greges, qui in montibus vagarentur, in hujus eſſe tutela; quippe cùm is ab Arcadibus fuiſſet in Mænalo monte educatus. Ea de cauſſa Virgilius, in primo Georgicorum, Pana cuſtodem ovium, & paſtorum præſidem appellavit:

Ipſe nemus linquens patrium, ſaltúsque Lycæi
Pan ovium cuſtos, tua ſit tibi Mœnala curæ.

Hic præterea amavit *Syringa* Nympham, quæ in paluſtres calamos fuit converſa, ut ait Ovidius: Mox verò calamis à vento agitatis, ſonúmque facientibus, ſyringis fiſtulam ex illis fecit. Fuit etiam à Luna amatus, cùm in niveum arietem pulcherrimum ſe convertiſſet, teſte Virgilio. Deniq; Orpheus, *Pana univerſam Naturam* eſſe intellexit, quippe cujus elementa & cœlum ſunt membra. Et quoniam Pan universa corpora naturæ continet, ut nomen ſignificat; dicitur ex univerſis, quæ exiſtunt, genitus, ſive ex omnibus conſiſtere. Neque aliud ſanè *partes inferiores* Panos *hirſutæ* ſignificant, quàm ſylvarum & arborum frequentiam. Hunc ipſum generationis & corruptionis auctorem Orpheus quoq; credidit: Dicunt illum fuiſſe cum Cupidine colluctatum, & ab eo victum; amor enim procreandi materiam excitat, & in omnes formas ad generationem effingit; quæ ita dicitur ab opifice ſuperata, dum cum illo colluctatur. Exigua hæc quidem, ſed veræ antiquitatis ſtatua marmorea procul dubio *Holmiæ* adhuc reperitur, quam glorioſiſſimæ ac beatiſſimæ memoriæ Rex Suecorum, *Carolus Guſtavus*, a. 1650. Norimbergæ à me accepit.

AVRELIVS CAESAR

Amling Sc.

Sandrart Del.

EXhibentur hîc fratres duo, *Aurelius* & *L. Verus*, in mutuum amplexum ruentes, quo nihil potuit fieri amantius; conglutinata enim ipſorum concordia videbatur, quos ſimul imperium junxerat. *M. Aurelius Antoninus*, cognomento *Philoſophus*, à M. Antonino Pio adoptatus, ſtatim in conſortem imperii aſſumſit *L. Ælium Verum*: Et tunc quidem primùm Rom. Imperium *duos Auguſtos* ſimul pari poteſtate fulgentes habere cœpit; tantíque hujus rei novitas & dignitas valuit, ut faſti Conſulares nonnulli ab his ſumerent ordinem Conſulum, & in dirigendis hiſce baſin ſupputationis ſuæ ponerent *Conſulatum Marci & Veri*, dicentes, hoc illudve accidiſſe ante duos Auguſtos, vel poſt Conſulatum duorum Auguſtorum tali. Quanquam moribus diſſimiles illos fuiſſe conſtet; nam *M. Antoninus Philoſophus* laudatiſſimus Princeps, ſed *L. Verus* voluptatibus deditus erat: Verùm *Marci* virtus texit vitia *Lucii*, data ei in uxorem Lucilla filia; ut ſimul eſſet gener & collega: Atque ut peregrinando à voluptatibus abſtraheretur, & timore bellico corrigetur, ſéque Imperatorem eſſe recordaretur, à *M. Antonino*, conſentiente Senatu, in *bellum Parthicum* miſſus eſt; ne in urbe, ante omnium oculos peccaret. Is verò Antiochiæ fermè hæſit, venationibus indulgens. Poſtea hi duo fratres, decreto Senatus, ſimul in *bellum Marcomannicum* profecti ſunt; ad quod *L. Verus* invitus ſe accinxit, & Aquileja tantùm usq; profectus, reverti in urbem voluit: Sed cum fratre in vehiculo ſedens, apoplexia correptus periit. Poſt ejus igitur obitum M. Antoninus bellum hoc ſolus geſſit, cúmq; ejus exercitus, in anguſtiis montium Germaniæ à *Quadis* circumcluſus, ſiti diebus quinque propemodum conficeretur, *Chriſtianorum* militum precibus, largiſſimam pluviam impetravit; cùm contra *Quados* fulmina perſequerentur. Hac re obſtupefactus Imperator, in perpetuam rei memoriam legionem eam, in qua *Chriſtiani* militabant, nominavit FVLMINATRICEM. De hac miraculoſa victoria Claudianus, à religione Chriſtiana abhorens:

Laus ibi nulla Ducum; nam flammeus imber in hoſtem
decidit: Hunc dorſo trepidum fumante ferebat
ambuſtus ſonipes: Hic tabeſcente ſolutus
ſubſedit galea, liquefactáque fulgure cuſpis
canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.

Vtriusque Imperatoris ſtatua, è marmore facta, & ad humani corporis figuram appoſita, *in palatio Principis Ludoviſii*, MARRomæ invenitur.

MARCVS AVRELIVS.



Cum gratia et Privilegio Sac. Cæs. Majest.

I. De Sandrart del.


Richard Collin sculp. Aug. Vind.

affusum pl
imago, mul
nobilius, n
Tanquam
gans, tam
tificum æt
liquerit.
que infimu
& naturale
Vbi verò
greſſi fuer
regias illiu
rant, & me
men minu
arriſit, ut
Gothiam t
niani haud
tute ſua e
dæ parten
urbi tunc
cari juſſit.
mus, Sixto
tori, tribu
lim maur at a
re loco repoſu
Parii marmo
cùm aliqu
arte fuſor
cordatio
hanc mec
fectum, &
prehendi
folet) poli
go omnis
Joachimu
admiratio
latæque

QUestris hæc *Marci Aurelii* Imp. ſtatua antiquo opere & ſumma arte perfecta eſt, major, quàm pro modo corporis, ex ære fuſili; hodienum, Romæ, in area depreſſiore Capitolii valdè conſpicua, & excelſæ baſi ſuæ, per infixos clavos & affuſum plumbum, adhærens. Hic ipſe equus, pariter ac imago, multi laboris, & ſingularis induſtriæ erat; nihil illis nobilius, nihil in Vrbe, quod magis viſendum putaretur: Tanquam opus aliquod Dædali, tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, ut huic ſimile prior aut poſterior artificum ætas vix tulerit; nedum conſpiciendum nobis reliquerit. Exemplum equi perfectiſſimi omnes pariter atque inſimul admirantur, ob mirificam ejus proportionem, & naturalem membrorum omnium inter ſe competentiam. Vbi verò *Gothici belli* detonante procella, barbari Vrbem ingreſſi fuerant, quam longa obſidione faméque afflixerant; regias illius moles demoliti, marmora ac lapides confregerant, & metallicas ſtatuas flammis excoxerant: Nihilo tamen minus *Totilæ*, Gothorum Regi, ſtatua hæc tantoperè arriſit, ut eam in Oſtienſi portu navi commiſerit, quæ in Gothiam transveheretur. Poſtquam verò Imperatoris *Juſtiniani* haud inglorius ductor, *Beliſarius*, Gothis ex Italia virtute ſua ejectis, Romam recuperaſſet, neque exiguam prædæ partem eisdem eripuiſſet; hunc ipſum etiam Aurelium urbi tunc reſtitui, atque *in area S. Johannis Lateranenſis* collocari juſſit. *Alexander* verò *Donatus*, ſcriptorum accuratiſſimus, Sixto IV. Pontifici, velut palatii Lateranenſis reſtauratori, tribuit his verbis: *M. Aurelii ſtatuam æneam equeſtrem, & olim inauratam, humili ac ſordido loco jacentem, in area Lateranenſi, auguſtiore loco repoſuit; quam poſtea Paulus III. in area Capitolina, pulcherrimáq; baſi Parii marmoris collocavit, adhuc ferentem ſpiritus inuſitatæ artis.* Quare cùm aliquando Romæ, in Academia noſtra, de metallorum arte fuſoria ſermocinaremur, & docta ſtatuæ ejusdem recordatio haberetur; artificioſiſſimus *Franciſcus* ille *du Queſnoy* hanc mecum conſcendit: Quod opus fuſile tam purè confectum, & omnibus ſuis partibus expletum, abſolutúmq; deprehendimus; ut præter ungues (quibus ars iſta animari ſolet) politiùs limatos, aliud nihil occurreret. Cæterum imago omnis, unà cum equo, æqualem exhibebat craſitiem, Joachimum haud excedentem. Hoc ipſum maximam nobis admirationem movit, ceu conſummatum perfectæ cumulatæque artis exemplum.

LV-

LUCTATORES.



I. De Sandrart delin.

Richard. Collin Sculps. Aug. 1677.




Alæſtram multas ſub ſe exercitationes habuiſſe conſtat, inter quas primum locum obtinuit *Luctatoria:* Hæc nihil aliud fuit (ut verba Mercurialis mea faciam) niſi exercitatio quædam, in loco Gymnaſii peculiari, nempe xyſto, ſive porticu tecta, fieri ſolita; in qua *Luctatores bini nudi,* uncti oleo, & pulvere aſperſi, *ſeſe brachiis complicantes,* invicémque concertantes, alter alterum *dejicere humi* contendebant. Illúdque præ cæteris quærebatur, ut *pedes primò* comprehenderentur; quod Pſeudolus ebrius apud Plautum ſignificavit, de vino dicens: *Captat pedes primùm, luctator doloſus eſt.* Sed antequam certamen inirent, muſculos prius calefaciebant, perfrictionibúsque, ac lenibus motibus explanabant: Quodſi aliquando hæc agere intermiſiſſent, iis quædam partes rumpebantur, convellebantúrque. Galenus ſcriptum reliquit, hunc à gymnaſticis in luctis obſervatum eſſe ordinem, ut nunquam vehementes inirent; niſi prius faciles & ſimplices eſſent edocti: Neque has aggredi ſolitos antè, quàm fricarentur; neque fricari prius, quàm ungerentur. Præterea ſpecies luctæ voluntarium pancratium erat: Nam in lucta certantes ſeſe dejicere ſtudebant, rectíque manebant; in pancratio autem iſto humi proſternebantur, ibi invicem complicati, ſéque mutuò convolventes, alter alterum ſibi ſupponere nitebantur. De hoc locutus eſſe Martialis videtur:

Non amo, qui vincit; ſed qui ſuccumbere novit,
& dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Niſi potiùs reflexionem intelligamus, qua palæſtrita adverſarium retrahebat, ac ictum illius devitabat. Tota hæc exercitatio *tres fines* habuit: *primum,* ut in ludis, ſacrificiis & theatris victoriam adipiſci poſſent; *ſecundum,* ut ad bella homines exercerentur; *tertium,* ut optimum corporis habitum acquirerent, ſícque ſanitatem curarent. Illi denique luctatores, in *palatio Mediceo* extantes, cunctas actiones, humana forma, maſculas ſatis ac maſculoſas artificioſè exprimunt.

M CO-

CORIDON



I. D. Sandrart delineavit

R. Collin sculpsit Antverpiæ



Heocrito & Virgilio memoratus paſtor, *Corydon*; is enim eidyllion quartum, Batto interloquente, hoc auſpicatus eſt verſu:


Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες;
Dic mihi, ô Corydon, cujus ſunt hæ vaccæ?

Virgilius autem Corydonis in perſona intelligitur, eclogaſecunda; & fortè Auguſtus Alexis in perſona inducitur:

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
delicias domini.

Quidam, annotante Servio, *Corydonem*, Aſinii Pollionis puerum, adamatum à Virgilio ferunt; eúmque à domino ipſi datum, *Corydonem* à Virgilio fićto nomine nuncupari; ex eo genere avis, quæ *Corydus* dicitur. Hinc adagium: *Inter indoćtos etiam Corydus ſonat.* Non autem *dulce canit*, perhibente quidem Servio; ſed, ſi magno Eraſmo credimus, *Corydus* viliſſimum aviculæ genus eſt, miniméque canorum; quod Græcum epigramma teſtatur: Strepit tamen utcunque inter aves mutas, quæ apud luſciniam canens ferri non poſſet. Et quoniam paraſitis ſolent indi nomina contemtus, non illepidè talis nomine *Corydus*, apud Athenæum, appellatur. Verius autem eſt, intelligi per *Corydonem* paſtorem ipſum Virgilium, omnium interpretum conſenſione; pro qua etiam ſententia eſt Apuleji Apologia prima: *Quantò modeſtius*, inquit, *tandem Mantuanus, qui ibidem, ut ego, puerum amici ſui Pollionis bucolico ludicro laudans, & abſtinens nominum, ſeſe quidem Corydonem, puerum verò Alexin vocat.* Ergo Corydon, ait Cæſ. Scaliger in Poëtica ſua, per quem intelligi volunt Virgilium, fertur amore in Alexim, puerum Pollionis, vel Mæcenatis; nec Auguſtum, (ut rećtiùs cenſet De la Cerda) terrarum Principem. In hac verò marmorea Corydonis ſtatua *formoſum juvenem* intuemur, *acutam ſpinam è pede ſuo extrahentem*; quæ in palatio *Juſtiniani Principis* adhuc aſſervatur. Similis quædam nudi Corydonis (ſic enim Romani eum nominant) imago in Capitolio quoque, extat; ſed quia æs ejus, ætate quaſi corroſum, omnem perdidit fulgorem, & ab ipſa obſcuratur nigredine, cognoſci vix poteſt.

POENITENTIA.



I. D. Sandraert delineauit

R. Collin sculpsit Antverpiæ 1676



Pud Græcos Deus ſilentii, Harpocrates, impreſſo ori digito, fingebatur; quo ipſo taciturnitatis fidem, & ſecretorum cuſtodiam innuebant. Præſens autem figura, quam ſingulari ſtudio, ut meliùs cognoſceretur, antrorſum æquè ac retrorſum exhibui, ipſam denotare *Pœnitentiam* mihi quidem videtur; quoniam ſpuma verborum diffluens juventus, effræni ſæpius lingua effutit, quæ poſtea dantmalum, aut damnum; ita ut iſtam non ſolùm pigeat ſtultitiæ ſuæ, ſed etiam pudeat. Unde Plinius, nono epiſtolarum, de Sabiniani liberto: *Flevit multum, multúmque rogavit, multum etiam tacuit; in ſumma fecit mihi fidem pœnitentiæ.* Et poſt nonnulla: *Remitte aliquid adoleſcentiæ ipſius. Metanœam* dictam eſſe pœnitentiam, & mentis mutationem, compertum eſt. Hinc illud Auſonii:

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas;
nempe ut pœniteat, ſic Metanœa vocor.

Jul. Scaliger, in Exercitationibus ſuis, pœnitentiam dixit eſſe reflexionem intellectus, ad reprobandum malefactum: Cúmq; dolore conſtet, quem juſtum ſequitur ejus rei, cujus tum ob ſummam turpitudinem, tum ob ingentia damna, quibus infamis eſt, nos pœnitet, pudétque ex utriusque affectus conſideratione, pudoris quoque ratione habita, pœnitentia ab ipſis Oratoribus facilè movetur. Quare Horatius: *Heu me! per urbem [nam pudet tanti mali]*
fabula quanta fui?

Hæc iſta nimirum juventus eſt, quam in eadem contemplamur ſtatua, à Tragicæ aſperitatis patre graphicè deſcripta, hac ode: -- -- *Scelerum ſi benè pœnitet,*
eradenda cupidinis
pravæ ſunt elementa; & teneræ nimis
mentes aſperioribus
formandæ ſtudiis. -- -- ----

Pœnitentis autem forma inſtar *captivi* cujusdam mancipii eſt, *catenis ac vinculis* onerati; quam priſci artificis manus è marmore dolavit: *Vultu ſubtriſti conſpicitur, manu frontem* pudoris ſedem *tegit;* brachio ſic innititur, ut *binas* ſuperiùs *aures* indicet, & *caput* inferiùs *bovis*, hiante ejus *rictu, ſine lingua.* Significatio illius in proclivi eſt: Multa auribus percipiuntur, quæ os elingue enuntiare nec vult, nec valet.

LEO

LEO. et EQVVS.



I. De Sandrart del.

R. Collin. Sculps. Ano.

APud Ægyptios *Leo* quidem ſymbolum fuit roboris & virium, *Equus* verò fortitudinis & fiduciæ; ut ait Clemens, quinto Stromatum. Unde eſt, quòd in Poëtis *fortes* equos ſæpè legas, non validos, aut *robuſtos*. Lucretius libro quarto:

Quippe videbis equos fortes, cum membra jacebunt,
in ſomnis ſudare tamen. -- -- --

Robuſtus igitur Leo in fortem Equum, aut alia pecora inſilit; & ſtatim fit horrenda ſtrages, cùm immanis monſtri dentes, & ungues, quotquot habet, in unius pecudis cædem conſpirant: Nec ſolùm franguntur oſſa, ſed caro & membra divelluntur. Hujus dilacerationis en exempla! ſic enim Poëtæ loqui amant, & inter hos Seneca, in Troade:

At ille ſævus, matre ſubmota, leo,
prædam minorem morſibus vaſtis fremens
frangit, vehitque. -- -- --

Item Statius, libro undecimo:

-- -- *Indomitos ut cùm Maſſyla per arva*
armenti reges magno leo frangit hiatu.

Præterea notant Naturæ conſulti, leonem præcipuè cor appetere; & Scaliger contra Cardanum, ex Hiſtoria navigationis cujusdam Troglodytæ, id ita probat; ut interim profiteatur ſe neſcire, quî fiat, ut cor intus rimetur; ac ſi ſciret, ibi eſſe, quod palato magis ſapiat. Quantum verò conjectura aſſequor, ſtatua illa venationem denotare mihi quidem videtur, in qua varia producebantur animalia, ut pugnando ſpectatores oblectarent; Gordianus enim primus, auctore Capitolino, populo Rom. *feras Libycas* una die centum de ſuo exhibuit; & in pictura ſylvæ *equi feri* triginta continebantur: Dio centum *leones*, & *leas* totidem ludis natalitiis ſimul exhibuiſſe Hadrianum, ſcribit. Fuerunt autem *equi feri* (de quibus Ariſtoteles, Strabo, Plinius, Oppianus, alii) cum in aliis provinciis multis, tum in Syria quoque, & quidem peculiaris ingenii in vindicta de rivalibus capienda. *Caballos ſylvaticos* Paulus Diaconus, in hiſtoria Langobardorum, vocat. De cætero Monumentum illud Leonis, cum Equo deluctantis, multa arte & induſtria factum, *in Capitolio Romano*, adeuntibus præmonſtra-

DIR-

tur.

DIRCE. ZETHVS et AMPHION.



DIRCE, ZETVS, ET AMPHION.




LYci, Thebarum Regis, uxor *Dirce* fuit; quam ille, repudiata Antiopa, uxorem duxerat: Quæ cùm Antiopam gravidam esse animadverteret (nam, post repudium, à Jove compressa fuerat) suspicata, virum suum clàm cum illa consuescere, in vincula eam conjecit. Verùm, instante jam partus tempore, Jovis miseratione vinculis soluta, in Cithæronem montem confugit; ubi *Amphionem* & *Zetum* gemellos peperit, qui postea Lycum interfecerunt: *Dircem* verò caudæ indomiti equi, vel tauri alligarunt, quæ diu ita per terram raptata, tandem Deorum commiseratione in sui nominis fontem conversa est, non procul à Thebis. Propertius libro tertio, inter alia, sic ait:

Sera tamen pietas, natis est cognitus error,
Digne, Jovis natos qui tueare, senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem, tibi gloria Dirce
ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zeti, *victórque canebat*
pæana Amphion, *rupe Aracynthe tua.*

Fuit autem *Zetus* Musicæ peritissimus, unde unà cum fratre *Amphione* saxa fingitur ad Thebanæ urbis structuram, citharæ suavitate, traxisse. Cujus commenti rationem hanc reddit Palæphatus, de Incredibilibus, illos Musicam in quæstu habere primos cœpisse; eáque lege admisisse auditores, ut illi vicissim ipsis ad muri constructionem operam suam præberent. Ubi verò locorum, & à quonam artifice, statua hæc facta, atque posita fuerit; hi ipsi versiculi haud obscurè indicant:

Ingentem Dircem, *quam spectas, marmore ab uno*
sculpsit Taurisius, *quondam* & Apollonius.
Deînde advecta Rhodo *est, & primùm condita in arce,*
Pollio *quam Romæ struxerat* Asinius.
Thermarum *inde* Antoni *inter monumenta reposta:*
At nunc Farnesi *patris in* æde *sita est.*



I.I.Thourneyſer Helv: Baſil: ſc: Lugd.



On dubitavit Dio unà cum aliis affirmare, Antinoum pro Hadriano devotum, in Nilo periisse; veterum enim persuasio hæc erat, observante Casaubono, posse alteriùs produci fata, si ejus vicem subiret alter, velut hostia quædam succidanea. Oportebat autem, ut qui pro alio moriebatur, ultrò mortem oppeteret; hinc Aurelius Victor, de Hadriano & Antinoo verba faciens: *Quæ quidem alii pia volunt religiosãq; ; quippe Hadriano cupiente fatum producere, cum voluntarium ad vicem magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum objecisse se referunt.* Sacrificium Antinoi homo paganus vocat rem piam, & religiosam; ferè tamen, quicunq; ex antiquis Scriptoribus Hadriani famæ voluerunt consultum, sacrificium istud humanum studio dissimularunt: Quare etiam Athenagoras, in Apologetico ad Marcum Imperatorem, Antinoi consecrationẽ humanitati Hadriani adscribit, non amori fœdo: Arrianus in Periplo Euxini, quẽ Hadriano misit, fœdissimè illi adulabatur; nam sub Achillis persona Hadrianus ab eo laudatur, & ejus in Antinoum nefandus amor. Videntur etiam Doctores Hebræorum ad hanc historiam respicere, quoties Hadrianum nominant quasi pollutum è contrectatione ossium aut cadaveris. De consecratione Antinoi hoc insuper addendum, hodiéq; egregium illud Romæ monumentum extare, in quo Deorum Ægypti σύνθρονον, consessor & consors nominatur; significãs, urbem de hujus nomine *Antinoum*, sive *Antinoopolin* ejus gratia instauratam; cùm esset ante is locus alii numini consecratus: *Besam* Deum illum (& urbem quoq;) priores vocabant; de quo Amianus libro nono: *Oppidum est Abidum, in Thebaidis parte situm extrema. Hìc BESÆ Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Propterea fuere, qui de duobus unum nomen componerẽt, & oppidum istud *Bisantinoum* appellarent. Ita & duorum numinũ appellationes in unam conflatæ, ut in *Hermeraclas, Hermathena, Heraclamon, Heramomon.* Deniq; Græcum illud monumentum M. Vlpius Apollonius propheta, hoc est, sacerdos Antinoi dedicavit honori ejus; omnes enim Ægyptiorum Deorum sacerdotes dici à Scriptoribus prophetas, Diogenes Laërtius observavit. Illius igitur ex albo marmore statua in horto Pontificis, *Belvedere* dicto, spectatur, adolescentis figuram monstrans omnium perfectissimã. Cælaturam hîc nota, quam scalptor, omni laude decorandọ, *unico* saltim, nec cruciato (ceu aliàs solẽt) *ductu*, qui *in naso Antinoi*, velut *in redimiculo* subsequentis *Veneris* incipit, aptè ac rotundè terminavit.





Dissident inter se atq; discordant statuarum veterum diligentissimi, utrum *Venus* an *Latona* hæc sit, quæ *aquam haurit*: Fabulantur enim, hanc ipsam compressam fuisse à Jove, *ob eximiam pulchritudinem*, quam cùm utero gestare sensisset Juno, terra universa jurare coacta est, quod parturienti Latonæ, è cœlo depulsæ, locum non concederet; præter Delum insulam: Ea enim cùm esset instabilis per illud tempus, sub undis fortè delitescebat; quæ deinde, cùm tempus pariendi Latonæ adventasset, jussa est à Neptuno consistere, ut scripsit Lucianus. Hæc igitur insula in mari Ægæo, cùm ad recipiendam Latonam emersisset, atque apparuisset ex undis, *Delus* vocata fuit; quod nomen *manifestum* & *apparens* significat. Deinde cum duobus liberis suis Apolline ac Diana, valdè tunc sitientibus, in Lycia oberrans, aquam pro illis haurire prohibebatur à rusticis, qui data opera istam conturbarunt; divina Numinis vindicta ob id ipsum facinus, in ranas illicò commutati sunt. Ad *Venerem* verò quod attinet, hanc è *spuma maris*, & sanguine Cœli, natam arbitratur Tibullus, primo elegiarum:

Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
is Venerem è rapido sentiet esse mari.

Cúmque nata fuisset Venus, hanc ex *undis maris egredientem* ambabus manibus è capillis, & è facie aquam marinam expressisse inquiunt: Quare omnium pictorum facilè princeps Apelles celeberrimam illam *Venerem emergentem* pinxit. Fertur, *in concha* margaritarum feraci fuisse concepta; *in qua* etiam *navigavit* in Cyprum: Idcircò cùm de formosa muliere loqueretur Venus, apud Statium, illam dignam esse, inquit, quæ sua esset soror, & *in eadem concha navigaret*:

Hæc & cæruleis mecum consurgere digna
fluctibus, & nostra potuit considere concha.

Homerus autem non in concha, sed *unà cùm spuma* delatam fuisse in Cyprum sensit. Postremò cùm è mari nata putaretur, inter sidera, nautis salubria, ab Horatio numerantur. Mirifica illius statua, & suo splendore gratiosissima, in amœno multarum deliciarum, *extra Vrbem*, *horto Burgesiorum* cernitur.

EN-




FAma eſt, *Endymionem* in Latmo, Cariæ monte, in antro quodam verſari ſolitum; & *Lunam* in illud antrum veniſſe, ut cum Endymione congrederetur: quod ita attigit Ovidius, in epiſtola Leandri.

Non ſinit Endymion te pectoris eſſe ſeveri,
fac ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.

Cicero tamen, libro primo Tuſculanarum diſputationum, perpetuò dormientem Endymionem in Latmo, Cariæ monte, à Luna adamatum dicit ſola oſcula Lunæ accepiſſe; neq; unquam experrectum fuiſſe: *Num igitur*, inquit, *eum curare cenſes, cùm Luna laboraret; à qua conſopitus putatur, ut eum dormientem oſcularetur?* Qui verò (ceu Natalis) rem magis hiſtoricè explicarunt, dicunt, Endymionem dictum fuiſſe, in eo monte, perpetuò dormire, & *à Luna amari;* quia cùm dormiret per diem, per noctem (quo tempore feræ exire ſolent de ſuis latebris) ad Lunæ lumen venaretur; neque unquam per diem videbatur. Alii dicunt, primum Endymionem rerum ſublimium ſpeculationem inveniſſe; cui rei fabulæ locum dedit Luna, ob tam varias luminis formas & mutationes; cùm de illa præcipuè cognoſcenda eſſet ſollicitus: Qui cùm noctu his conſiderationibus eſſet intentus, ſomno non fruebatur; ſed dormiebat per diem. Hic prior, ut teſtatur Lucianus in Aſtrologia, Lunæ rationem mortalibus oſtendit; ſicuti Phaethon deprehendit Solis curſum; quæ cauſſa extitit, cur Luna illum amaſſe dicta ſit, ut in ſecundo Plinius teſtatur. Neq; nos præterit, alios fuiſſe, qui paſtorem fuiſſe Endymionem putarint; qui nocturnis paſcuis delectaretur, cùm alii paſtores clauſos greges in ſtabulis haberent: Atq; cùm hujus greges magnoperè pinguefcerent, fabulæ datus eſt locus, quod Luna, ejus amore capta, illud Endymionis gregibus donaret. Hunc mortuum eſſe & ſepultum apud ſe, teſtati ſunt Elei; qui inſigne ſepulchrum illi erexerunt. Nihil aliud autem per hæc ſignificatur, quàm diligentiam omnibus in rebus eſſe utilem; cùm maximè Dei auxilium iis præcipuè præſtò eſſe ſoleat, qui & ipſi non ſint deſides; velut Endymion, Aſtrologiæ peritus, & in paſcendis ovium gregibus olim diligentiſſimus. Dormientem verò per diem, ad montem Latmum, ſima ſculptura major hoc loco expreſſit; quod ſingulare artis miraculum, *in Romano Principis Juſtiniani horto*, velut ad gloriam erectum, extollitur.

NYM-

NYMPHA *et* FAVNVS.



NYMPH

Ymphas O
antiqui, V
cùm ita ſcr
Nymphæ l
Orpheus
Nympharum aliæ fun
fluviales, aliæ mar
Nymphæ putata
um educaſſe: Illæ
bantur eſſe animæ
runt, acvires, qua
aliæ *ſylvis* præera
es; aliæ ſingulis *ar*
& floribus, ut Na
bantur, *ſtagnorum*
ibus præeſſe put
hydriades vocar
que Nereides. H
es eſſe crediderun
& ſtirpibus inſita
imalium, plantar
as omnia in lucer
mnia orirentur, qu
fundere, fluviorum
niverſæ generatio
ræ meritò, hinc f
a omnia nutrire, hi
rumDeæ,& prae
HarumNympharu
herbæ illius natura
aquatica; quia plu
tem hîc *veſtes ſuas*
propè ab ea Faunu
ta ad agricultura
anus, *cum fiſtula*;
phiam, dominam
ornamenta ſtatua
nè, tanquam ſtel
variant, cohoneſt



Ymphas Oceani filias & Tethyos esse dixerunt antiqui, Virgilius fluviorum matres putavit, cùm ita scriberet in libro octavo:

Nymphæ laurentes, Nymphæ, genus amnibus unde est.

Orpheus etiam Hamadryadas appellavit, quia Nympharum aliæ sunt creditæ cœlestes, aliæ terrestres, aliæ fluviales, aliæ marinæ, aliæ stagnorum præsides. *Terrestres* Nymphæ putatæ sunt à nonnullis Cererem & Bacchum educasse: Illæ Nymphæ, quæ *cœlestes* putabantur, credebantur esse animæ sphærarum; quas etiam Musas vocarunt, ac vires, quæ inde ad nos manarent. Terrestrium aliæ *sylvis* præerant, ut Dryades; aliæ *montibus*, ut Oreades; aliæ singulis *arboribus*, ut Hamadryades; aliæ pascuis & floribus, ut Napeæ: *Fluviorum* præsides Najades dicebantur, *stagnorum* Limniades nominarunt; quas verò *fontibus* præesse putarunt, in aquis latere crediderunt, & Ephydriades vocarunt: Aliæ *marinæ* putabantur, dicebantúrque Nereides. Has verò Oceani filias, & fluviorum matres esse crediderunt, quia vires humoris esse putarunt terræ & stirpibus insitas, & aquæ naturam, quæ conferret ad animalium, plantarum, & fructuum procreationem; per quas omnia in lucem prodirent. Cùm igitur ex his viribus omnia orirentur, quæ primùm videbantur se in flumina diffundere, fluviorum matres dictæ sunt; & per hos denique universæ generationis parentes sunt vocatæ: Hinc fructiferæ meritò, hinc florum feraces, hinc homines & animalia omnia nutrire, hinc Bacchi alumnæ dictæ fuerunt, & pastorum Deæ, & pratorum, & omnium animalium præsides. Harum Nympharum eam esse vim humoris, indicio est vel herbæ illius natura, quæ *Nymphæa* vocatur à Dioscoride, quasi *aquatica*; quia plurimùm gaudeat humore. Nympha autem hîc *vestes suas colligit, velut saltatorium orbem versatura*; & propè ab ea Faunus, ut è superioribus patuit, quoniam multa ad agriculturam excogitavit, inter Deos agrestium relatus, *cum fistula*; qui inflat eum sonum, quo quasi Nympham, dominam suam incitet. Duo hæc decora atque ornamenta statuarum præclari operis sui dignitate maximè, tanquam stellis quibusdam, theatrum hoc ornant, variant, cohonestántque; ceu *lilia plenis* quæ

ferunt Nymphæ calathis.





Accidiſſe fabulantur iis temporibus, quibus adhuc puer *Paris* erat inter paſtores, ut Dii omnes convocati ad nuptias Thetidis & Pelei acceſſerint; præter Eridem ſive Diſcordiam, quam nemo invitarat. Id illa graviter ferens, *pomum* elegantiſſimum & pulcherrimum, aureum, cum inſcriptione, PER OSTIUM IMISIT, PVLCHRIOR ACCIPIAT: Id ſuſcepit Mercurius, ac legit, ut teſtatur Lucianus. Tum multis Deabus id petentibus magna diſcordia & contentio orta eſt inter *tres Deas*, cæteris his cedentibus; ac Jupiter juſſit ad æquiſſimum, ut tum habebatur, Paridem judicium id deferri. In Ida monte id accidiſſe, ſcribit Ovidius:

Cum Venus & Juno, Pallásque in montibus Idæ
corpora judicio ſuppoſuere meo.

Ajunt, hunc ingentibus donis fuiſſe à Deabus omnibus ſolicitatum; quippe cum *Juno* Aſiæ Europæque imperium illi promitteret; *Pallas* ſive *Minerva* ſe omnibus Græcis ſapientiorem facturam polliceretur; ſed *Venus* mulierum omnium pulcherrimam ſe illi conceſſuram diceret; ſi ſibi victoriam de forma adjudicaſſet. Quam rem ita attigit Ovidius, in epiſtola Paridis:

Tantáque vincendi cura eſt; ingentibus ardent
judicium donis ſollicitare meum.
Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat, &c.

Judicium Paridis, de tribus Deabus latum, & *numiſmate Imp. Antonini Pii* (quod, ex hæreditate patrui ſui Franciſci, Angelus Maurocenus, D. Marci Procurator accepit) *Carolus Patinus*, Eques D. Marci, interpretando nuper explanavit eruditiſſimè. Eſt autem inter has tres Deas ſemper ferè diſcordia, & contentio, Palladem, Junonem, Venerem; quippe cùm moleſtum appareat civitatibus id, quod plerumq; accidit, ut imperiti & ſtulti peritis & ſapientibus dominentur, ut inopes opulentis, inter quos naturalis eſt propè diſcordia; ut libidinoſi & impuri viris bonis & temperantibus imperent: Nam ut res omnes hæ uni adſint, ut idem ſapiens ſit ſcilicet, & temperans, & opulentus, eſt una rerum omnium quàm difficillima; quodſi contigerit, nemo illius imperium feret invitus. *Minerva* hæc, ſive *Pallas*, manibus pedibúsque injuria temporum detruncata, in *Cæſiano palatio, Romæ* adhuc ſervatur; *Paris* autem, pomum in manu geſtans, inter *Arundeliana* quondam monumenta, *Londini* extitit.

VIRGO VESTALIS



I. v. Sandrart del.

I. A. Boener fcul.

The Warburg Institute



Irginem dicebant Veſtam, quia incorruptus ignis eſt, & nullius rei generationem in ſe admittit; quamobrem à virginibus ignis iſte ſumma religione atque cultu cuſtodiebatur, ut refert Ovidius, ſexto Faſtorum:

Nec tu aliud Veſtam, quàm puram intellige flammam,
natáque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo, quæ ſemina nulla remittit,
nec capit, & comites virginitatis habet.

A Numa Pompilio autem Romæ inſtitutas fuiſſe Veſtales, teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſenſis: *Virgines*, ait, *quæ Deæ ſacris operabantur, quatuor erant ab initio; & jus optandi eas penes Reges eſſe, Numa voluit; poſtea propter ſacrificiorum multitudinem ad ſenarium numerum auctæ à Tarquinio Priſco; hodiéque permanent degentes in Deæ fano, à cujus aditu nemo arcetur interdiu; ſed pernoctare intus fas eſt viro nemini. Has per XXX. annos manere puras à nuptiis neceſſe eſt, ſacrario ſervientes; & primo decennio rationem ſacrorum eas oportebat diſcere, ſecundo exercere, tertio docere alias: poſt exactum annum trigeſimum nihil vetabat eas, poſitis coronis, reliquiſque inſignibus ſacerdotii, cui vellent, nubere; fecerunt id paucæ aliquot, ſed parum læto vitæ exitu, & ominoſo apud cæteros.* Perpetuus, æternúsque ignis, in templo Veſtæ, tanquam Imperii certiſſimum pignus aſſervabatur; ſuſpenſus in vaſculis quibusdam fictilibus, nec in altaribus: Tantum enim fiduciæ in hoc igne erat, ut oportuerit eum nunquam extingui; quod quidem prodigio contigit ante initia bellorum civilium, motáque inter Cæſarem & Pompejum arma: Si verò virginis incuria id eveniſſet, Pontifici maximo digna viſa eſt, quæ flagro admoneretur. Veſtales cùm atrio excedebant, matronarum cuſtodiæ mandabantur: Magna earundem erat auctoritas, Vibidiæ enim Veſtalis precibus Meſſalinam tentaſſe veniam à Claudio Principe marito conſequi, Tacitus refert. Teſtamenta penes illas erant aſſervata, & una inter eas præcipua auctoritate *Maxima* dicebatur. His Magiſtratus, Seneca teſte, faſces ſuos ſubmittebant; Conſules Prætorésq; via cedebant: Item carpentis, ut aliæ matronarum, vehebantur. Ornatus erat *ſuffibulum*, id eſt, *veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum*; quod *in capite ſacrificantes* habebant, inquit Feſtus; idque *fibula comprehendebatur*. Ipſius Veſtalis ſtatua, *ex albo marmore*, in Romano *Principis Juſtiniani* horto ſpectatur.

FLO-

FLORA.





VÆ numina pro frugum ubertate & copia invocarentur, Varro, libro primo de Re ruſtica, docet; duodecim Deos memorans, qui maximè agricolarum duces erant: Nimirum *Jovem, Tellurem, Solem, & Lunam, Cererem, Bacchum, Robigum, Floram, Minervam, Venerem, Lympham, & Bonum Eventum.* *Jovem* quidem & *Tellurem* ideò, quòd omnes fructus agriculturæ cœlo & terra contineantur: *Solem* verò & *Lunam*, quòd eorum tempora obſerventur, cùm quædam ſeruntur & conduntur: *Cererem* autem & *Liberum*, quod horum fructus maximè neceſſarii ad victum; ab his enim cibus & potio venit è fundo: *Robigum* ac *Floram*, quod iis propitiis, neque rubigo frumenta, neque arbores corrumperet, neque non tempeſtivè florerent: *Minervam* & *Venerem*, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum: *Lympham* ac *Bonum Eventum*, quoniam ſine aqua omnis arida ac miſera agricultura; ſine ſucceſſu ac bono eventu, fruſtratio eſt, non cultura. Ac *Floræ* quidem ſupplicari ſolitum, ut arva floreſcerent; unde Arnobius libro quarto: *Flora illa genetrix & ſancta, obſcœnitate ludorum benè curat, ut arva floreſcant.* Præterea *Rubiginem* Deam rogatam, *ut non accederet*, Auguſtinus libro quarto de Civit. Dei oſtendit. Tria verò, ut Plinius libro octavo & decimo memoriæ prodidit, tempora fructibus metuebant, propter quod inſtituerant ferias, diésque feſtos, *Rubigalia, Floralia, Vinalia.* In Plutarchi Problematibus, obſervante Gyraldo, malè Latinè ſcribitur: *Quid eſt*, inquit, *quod Floræ, quam Bonam Deam nominant, omni florum genere templum exornantes, &c.* Cùm pro Flora *Gynæceæ Deæ* ſcribendum ſit, quam *Bonam* vocant; quod alia probatione non indiget, cùm ita certè Græcè legatur: Tum etiam ibidem cum Floram *Flavii vatis uxorem* Latinus interpres dicat, perperàm factum eſt; nam *Floræ nomen* utique *additum* eſt: Id quod plerísque errandi cauſſam præſtitit, ut *Bonam Deam* eandem cum *Flora* fecerint; cùm ejus nihil omninò Plutarchus tradiderit. Denique illius Floræ ſtatua in ipſo etiam *horto Principis Juſtiniani* extat, altera quidem manu *tibiam* tenens, altera verò *roſeam corollam:* Opus longè perfectiſſimum, in quo ſummi artifices nihil deſiderant, præter nihil.

HY-



for study purposes only. Free copy from the Warburg Collections




Pione dicitur *Æſculapii* fuiſſe uxor, cujus filius fuit *Machaon*, vir (uti ferebant ea tempora) artis medicæ peritiſſimus; qui unà cum cæteris Græcis ad Trojam militavit. Fuit etiam *Podalirius*, Æſculapii & Epiones filius, fratérque Machaonis, ut ait Pauſanias in Meſſenaicis. Præterea & Orpheus, in hymno quodam in Æſculpium, non *filiam*, ſed *uxorem* fuiſſe *Æſculapii* (cui multæ Corinthi ſtatuæ ponebantur) *Hygiæam* (vel rectiùs *Hygieiam*) cenſuit. Hujus inſignia, *canis* ac *ſerpens*, filiæ ſive uxori hoc loco tribuuntur; quæ fidelis Medici *diligentiam* pariter ac *prudentiam* denotant. Æſculapio autem quatuor fuiſſe filias, accepimus, omnes à medendi facultate dictas, *Hygiæam, Æglen, Panaceam, Jaſo*. Neque caret myſterio, quod Hygiææ, hoc eſt, ſanitati mulieres Sycioniæ valetudinis curam habentes, comas ſuas detonſas conſecrabant; ut apud Pauſaniam lectum eſt: Nam & Ægyptii quoque conceptis verbis capillum puerorum deſectum Divis ſuis nuncupabant, ut ab adverſa valetudine reſpirarent. Huic Hygiææ Ariphron Sicyonius hymnum cecinit, quem hoc modo imitari, quàm interpretari, fas eſto:

O, qua nec altera vetuſtior eſt cœlitum,
O, una cunctis expetita Sanitas!
Quodcunque reliquum eſt vitæ, tecum utinam
agam, & una omnium contubernalium ſis mihi!
Quicunque enim fortunis fruitur aut liberis,
aut eſt aliter obnoxius Volupiæ,
Te una favente cuncta habet propitia;
afflant & illum Charites, & ſi media hyems
rigeat, tamen ver illi floſculos parit.
Abſente Te, ſunt cuncta dura & aſpera;
nec grata prorſus cætera eſt felicitas,
quin eſſe planè deſinit felicitas.

Dicebatur item hoc nomine triplex triangulus, atq; in totidem literas Græcas (ὑγίεια) reſolubilis; qui alternatim interſe junctus, figuram quinquelinearē exhibebat; quo & tanquam ſymbolo, bonam notante valetudinem, Pythagorici inter ſuæ doctrinæ ſodales utebantur. Et hoc illud ſcutum Davidis eſt *Agla* (quaſi *Æglen* dicas) quod gens Judaica etiam contra ignes & incendia valere credit. Statua verò illius inter *Principis Juſtiniani* cimelia, ex albo marmore, artificem ſuum facilè prodit, actionum decore, & veſtium cultu ornatiſſimo.

NILVS.



NIL
Omer
appella
apud St
fit à Ni
bus Æ
Eustathium, H
mat; eò quòd
portione respo
Te propte
arida,
ere Ægyptii N
rabant; in qu
rror, initáque
quos Jovi de
is, quòd cùm
es in genua
ulat, ut scripse
luviorum, qu
edit Nilus, ex A
bricis regnator
dissentit Jorna
ders flumina im
n adjumenti ac
ur. *Egypti* censo
ica judice, quo
ribus terra und
ubertati annu
es, terras oblim
; unde arenos
Referuntur *P*
ili obtinentem
ginti constru
annis octo ac
, annua copia &
ue quibus aliqu
enfura, si flum
Crocodilus, *Sph*
ptiacæ dignit
atque antiqui
hanc Nili statu
ram fuisse, V

HOmero aliísque *Nilus* dictus est *Ægyptus*, cujus appellationis cauſſam eam eſſe dicit Nearchus, apud Strabonem; quòd Ægypti ſolum factum ſit à Nilo, deferente limum è ſuperioribus partibus Æthiopiæ. Parmeno, poëta Byzantius, apud Euſtathium, Homeri interpretem, *Jovem Ægypti* eum nominat; eò quòd Nilus in Ægypto imbribus Jovis pluvii proportione reſpondeat. Vnde Tibullus:

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres
arida, nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

Quare Ægyptii Nilo ſollemne feſtum quotannis publicè celebrabant; in quo omnes accederent ad theatra, & epularentur, initáque communi chorea eosdem canerent hymnos, quos Jovi decantabant. Eodem ſpectabat ſuperſtitio iſta, qnòd cùm Nili aquæ urna deferretur in templum, omnes in genua procumberent. Is autem adeò aquis abundat, ut ſcripſerit Ariſtoteles, Nilum & Iſtrum maximos eſſe fluviorum, qui in hoc mare influant. Inter hos verò excedit Nilus, ex Auſonii ſententia:

Illyricis regnator aquis tibi, Nile, ſecundus | *Danubius.*

Nec diſſentit Jornandes in Geticis: *Hic etenim amnis*, ait, *inter cætera flumina immanis, omnes ſuperat, præter Nilum.* Plurimum adjumenti ad fertilitatem conferre, docet Horus, Nilum *cor Ægypti* cenſens. Juvat autem agros duabus de cauſis, Seneca judice, quod inundet eo tempore, quo maximè iſta, caloribus terra undam altiùs trahit; tantum hauriens, quantum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit: Et quòd turbulentus fluens, terras oblimet illato limo ac pingui, quod ſecum detulit; unde arenoſo & ſitienti ſolo & aquam inducit, & terram. Referuntur *Pyramides*, quarum ampliſſimam octo jugera ſoli obtinentem trecenta ſexaginta hominum millia annis viginti conſtruxiſſe, à Plinio memoriæ proditum eſt; tres factas annis octo ac ſeptuaginta. Denique Nilus hîc exprimitur, *cornu copiæ & ariſtas* utraq; tenens, cinctúsque *liberis ſedecim*, è quibus aliquot vetuſtas abſtulit; certa olim fertilitatis menſura, ſi flumen exundans illos attigiſſet. Adſunt præterea *Crocodilus*, *Sphynx*, *& Pyramides* quædam, haud obſcura Ægyptiacæ dignitatis monumenta, Nilíque ſigna pulcherrima atque antiquiſſima. Ante centum & quinquaginta annos hanc Nili ſtatuam, prope *S. Stephanum*, cognomine *Cacum*, repertam fuiſſe, Vlyſſes Aldrovandus teſtatur.



J. A. Bonet Sc.

INgens hoc venerandæ antiquitatis monumentum, & humanam æquans ſtaturam, (quod in ſummi Mæcenatis quondam mei, *Principis Juſtiniani* palatio olim delineavi) ex albo marmore, præclarè factum eſt ab opifice perfectiſſimæ artis; *Rhetoricam* ſive *Oratoriam* nobis ſiſtente, civili ſcientiæ additam; ut quoddam ad homines benè gubernandos inſtrumentum. *Dextram ſupra oculos*, in ſummis affectibus & contentionibus, *extendit*, ſine qua actio eſt iners; nam multas parit & rerum & animi ſignificationes, ipſámque verborum copiam ſequitur: Hac poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, admiramur, timemus, prohibemus, interrogamus, probamus, negamus; gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus. Oratores, ad dicendum ſe componentes, *manu ſilentium* imperaſſe, teſtatur perſpicuè Perſius, Satyra quarta ſic ſcribens:

Fert animus, calidæ feciſſe ſilentia turbæ
majeſtate manus.

Quod & Lucanus, primo, de Julio Cæſare agens, confirmat his verbis:


--- -- -- -- *tumultum*
compoſuit vultu, dextráque ſilentia fecit.

Verùm quo manus geſtu? quo motu? *Digitorum concrepatione* interdum audientia parabatur; *indice* præterea & *medio in jotam erectis*, cæteríſque *pollice compreſſis* ſilentium indicebatur. Ac *dexteram* quidem *unam* id operis habuiſſe, nec, niſi *extentam* & *porrectam* hoc ipſum perfeciſſe, docet nos Apoſtolus; qui defenſionem ſuam exordiri volens coram Agrippa Rege, *manum* priùs *extendiſſe* dicitur, ut ſibi conciliaret andientiam; quare Agrippa ad Paulum ait: *Permittitur tibi loqui pro temet ipſo!* Tunc Paulus, *extenta manu*, cœpit rationem reddere. Sed & juniorem Juſtinum Imperatorem, ubi primùm Imperii diademate fuit redimitus, ut populi faventiam ſibi compararet, teſte Corippo,

---- *Crucis faciens ſignum venerabile, ſedit,*
erectáque manu, cuncto præſente Senatu,
Ore pio hæc ait. -- -- --

MAR-

MARPHORIVS. SIVE RHENVS.



Joachime de Sandrart delin.

J.J. Sandrart fecit.

MARPHORIVS, aliàs RHENVS. 60

ROmani cujusdam Imperatoris ſolicitudine, ſtatuam hanc in memoriam Rheni poſitam fuiſſe, multi ad ſuſpicandum ducuntur; ad hunc enim limitem varia Romanorum cum noſtris bella, & excurſiones quotidianæ: Quam ob cauſſam ad Rheni ripam perpetua legionum præſidia diſpoſita habebant. Cæterum illa ex integro candidiſſimi marmoris ſaxo facta, hominis figuram bis æquat; in fonte Capitolino, è regione M. Aurelii, quondam conſpicua. Itali *Marphorium* (vulgò *Marfuori*) vocant, Paſquini congerronem; de quo obſoleti & deridiculi verſus hi uſurpantur:

Queſt' è di Roma un nobil cittadino,
il qual [ne alcun ſi penſi che io l' inganni]
nacque conqueſta barba, e in queſti panni,
e fù ſi grande, in ſin ch' era piccino,
non mangiò mai, ne bevè; & è vicino [to anni,
à forſe piu di mille e quatregene non dimeno di ſagi, e ſi affani
tutti, del mondo, non ſtima un quatrino
ſempre. E ſi puo dir nudo, al acqua, al ſole, [tetto,
al vento, e' in terra ſtaſſi ſenza ne un dente pur, non ch' altro
mai ſi duolè, [to,
di natura quieto, grave, & iſchietcandido, di pochiſſime parole,
& à molte facende atto, e perfetto;
anchor che per diſpetto
già lo ſtorpiaſſer certi traditori,
come vedete, & hà nome MARFVORI.

Vidit M. Freherus apud Coloniam Agrippinenſem Rheni ſigillum æneum, (qualis in nummis Tiberinus pater, Danubius, Nilus, Euphrates exprimitur) cum imagine Druſi, & literis hiſce; DEVS RHENVS. Inter varias regiones, quas alluit, Palatinatus, & in hoc *Heidelberga* emicat; ubi aula Electoris Sereniſſimi, CAROLI LVDOVICI, ſemirutæ ac ſpoliatæ patriæ Servatoris prudentiſſimi; apud quem ſtudia & artes in honore & pretio ſunt: Teſtem totam Academiam citamus, in quo univerſale (ut vocant) ſtudium glorioſæ memoriæ Princeps, Rupertus, anno MCCCXLVI. inſtituit. Poſtremò flos Liberi patris omnium judicio laudatiſſimus ea & unica parte ditionis Palatinæ in montibus illis naſcitur, quæ à *Baccho* nomen *Bacharach* habere creditur: Inde & accolæ *Bacchi aram*, hoc eſt, ſaxum ingens quadratum, in Rheni alveo, extare perhibent, quod per intentiorem ſolis æſtum aliquando deficiente flumine retectum, optatioris vindemiæ certum ſignum præbet. De hoc Henr. Stephanus:

Bacchi *igitur meritò tribuit tibi nomen ab* ara,
Bacchara, *quicunque eſt primus tibi nominis autor.*

NILVS ALITER.




Joachimo de Sandrart delin. JJ Sandrart fecit.

MEmoratu non indigna ſunt verba illa Caroli M. Francorum Regis, libro tertio de Imaginibus: *Nonne divinis ſcripturis contraire noſcuntur pictores, cùm flumineos amnes, in figuris hominũ, aut ſitulis aquas fundere, aut alios in alios confluere depingunt?* Sed pictoribus, atque poëtis, major in talibus libertas eſt, qui ſæpiculè mentiuntur, ut delectent. Nudi etiam pleríq; pinguntur amnes, ſolo *excepto Tago*, de quo proditum memoriæ eſt, *Ant. Colonnam*, Vice-Regem Siciliæ, cum aliquot Baronibus in horto deambulaſſe: Ibi, inter inſignes ſtatuas, majora univerſi orbis flumina, præter unicum Tagum, à ventre denudata videbantur; hujus ſubturpia folio ficus, contecta erant. Hinc iſta magnifica & glorioſa oſtentatio Hiſpanorum, prædicatione patriam ſuam, ſuósq; tunc efferentium: *Ecce*, inquiunt, *verecundia Hiſpanica, ex inſenſili ſaxo effulgens; cum cæteri omnes fluvii fœditatem ſuam aperiant, atque oſtendãt!* Ad hæc peracutè Colonna: *Erratis*, ait, *Tagus enim veſter ideò ſexum velat, quia circumciſus eſt!* Quare nec Nilo nuditas ſua vitio verti debet, cujus Ægyptiacam fertilitatem *Serapidis ſimulacrum* hieroglyphicè innuebat; quod *modium in capite, & cubitum menſuram aquæ* habebat, Alexandriæ ſublatum (Theodoſii M. tempore) à Theophilo Patriarcha, ut ſcribit Suidas. Sicut etiam Conſtantinus Imp. cubitum, quo menſurabatur Nilus, non jam in Serapidis templum annis ſingulis, ſed in Eccleſiam portari ſanciverat; ut Ruffinus, Socrates, & Paulus Diaconus docent. Heliodorus, in Æthiopicis, Nili aquam dulciſſimam eſſe dixit, & ob ejus bonitatem ac præſtantiam ex ea tantùm bibére Ægypti Reges; ſicut Parthorum Reges ex Choaſpe & Euleo ſolùm bibebant, etiam in longè diſſitis regionibus, auctore Plinio. Quapropter neq; mirum, ſi Ptolemæus Philadelphus, cum Berenicem filiam in matrimonium tradidiſſet Antiocho Aſſyriæ Regi, ad delicias magnis impenſis curaverit illi ad potum Nili aquam perpetuò ſuppetere; ut autor eſt Polybius, & Athenæus. Sine ſtrepitu fluere extra cataractas, innuit Claudianus, in panegyrico Manlii:

Lene fluit Nilus; ſed cunctis amnibus extat
utilior, nullas confeſſus murmure vires.

Statua ejus poſterior in Romano *Capitolio*, geminam hominis formam æquans; prior autem in Pontificis horto, *Belvedere* dicto, è Græco marmore ſcalpta conſpicitur.






Rovectioris ætatis *Satyri*, Pauſania teſte, *Sileni* nuncupati fuere; dicti, ut Phurnutus ait, ἀπὸ τοῦ σιλαίνειν, id eſt, ab irridendo, & oculis præcipuè. Euſebius, tertio Præparationis Evangelicæ, Silenum ait *ſpiritalis motus ſymbolum* fuiſſe, qui non parum univerſo conducit; cujus *caput* propter canitiem, *candore fulgens*, cœleſtis motus: *Cæſaries* verò, quæ inferioribus imaginis partibus apponitur, *craſſitudinem terreſtris aëris* ſignificat. Et paullò pòſt irridens, ſubjungit: *Cur, ſi motus ſpiritalis Silenus eſt, & motivam virtutem ſignificat, tum cœleſtem candorem capitis, tum aëriam & craſſiorem prolixitate ac denſitate barbæ, &c.* Maximus Tyrius, in Sermone trigeſimo, inquit, Silenum ebrium laqueis & vinculis conſtrictum, Midæ prædixiſſe varia & diverſa; unde facilè videmus, Virgilium argumentum ſuæ eclogæ, *Sileni*, deſumſiſſe. Plutarchus in conſolatione Apollonii: Ferunt, inquit, Silenum jam captum, poſt venationem percontanti, quidnam eſſet hominibus optimum, quídque omnium maximè optabile? primùm quidem ſilentium tenuiſſe; mox ita locutum: *Optimum eſt omnibus, non naſci; ſed poſthoc eſt ſcilicet, genitos quàm celerrimè interire!* De cætero mirabile illud in Pariorum lapidicinis proditum eſt, *gleba lapidis* unius cuneis dividentium ſoluta, *imaginem Sileni intus extitiſſe*; ut Plinius ſcribit. Sileni à Catullo *Nyſigeni* cognominati ſunt, dum ait:

Cum thyaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis.

Σανάδαι & Σαῦδοι Sileni à Macedonibus appellabantur, ut Amerias apud Heſychium teſtatur: Erant &, qui πάρεδροι, id eſt, aſſiſtentes dæmones dicti; qualis, qui Socrati aſſiſtebat, de quo Apulejus, peculiari libro: Fuere inſuper ὀνόσκελοι, aſininis cruribus; qui & ſeſe mares exhibere, interdum & leonis, vel canis, vel alterius animalis ſpecie apparere ferebantur. Illa autem ſtatua *Romæ, in horto Cardinalis Ludoviſii*, ſpectatoribus ſuis oblectamento eſt, ob craſſam ſcilicet ac brevem Sileni formam, *hircinis utribus indormienti*, & ſemper-virente *pyrola coronati*; quæ vini, homines exhilarantis, ſymbolum vulgò creditur.

SATYRVS et SILENVS.





Atyri dicti ſunt, ut Macrobius docet, veluti *Sathuni*, quod ſint in libidinem proni, σὺν τῷ αἰδοίῳ, quod membrum virile declarat. Hos petulcos in libidinem fuiſſe, etiam S. Hieronymus in Pauli Thebæi vita teſtatur; & Euſebius, in tertio Præparationis Evangelicæ, eos omnem Venereamvirtutem oſtendere ait. Satyros, inquit Phurnutus, *ſymbolum* eſſe *ecſtaſeos*, id eſt, mentis exceſſus. Iſtos nonnulli (ut Ælianus in Varia hiſtoria ſcribit) *Tityros* vocant, qui unà cum Dionyſio chorum agebant: Id autem nomen ſumſerunt à teretismatis, hoc eſt, laſcivis cantibus, quibus *Satyri* oblectabantur. Quare hi à ſimulato & ficto *riſu*, ceu Sileni à *dicacitate* vocabantur; αἶσχος enim infamiam appellant, cum acerbo & moleſto joco. *Veſtis* erat Silenis ex utraque parte *villoſa*, habitus verò totus *plantationem*, cujus autor fuit Bacchus, vitium & palmitum denſitatem ſignificat; ut ait Ælianus. Porrò Pomponius Mela, & Plinius, Satyros animalia eſſe dixerunt quadrupedia, in ſubſolanis Indorum montibus, perniciſſima, humana effigie: Solinus in ſimiarum genere reponit. Ab iſtis denique Satyris poëmatis genus varium & maledicum, & petulans denominatum eſt, antiquę comœdiæ charactere compoſitum. Denique *Sileni Alcibiadis*, apud eruditos in proverbium abiiſſe Eraſmo videntur; quo licet uti, vel de re, quæ cùm in ſpeciem, & prima (quod ajunt) fronte vilis ac ridicula videatur, tamen interiùs ac propiùs contemplanti ſit admirabilis: Vel de homine, qui habitu vultúq; longè minus præ ſe ferat, quàm in animo claudat. Porrò ſtatuarum argumentum ſumtum eſt à ridiculo illo Sileno, Bacchi pædagogo, numinúmq; poëticorum morione: Proinde apud Athenæum, libro quinto, adoleſcens Critobulus irridens Socratem ſenem ac deformem, dicebat illum multò *Silenis deformiorem*; cui Socrates: *Ita per Jovem, aut omnium Silenorum, qui ſunt inter Satyros, turpiſſimus fuero!* Et Alcibiades, apud Platonem in Convivio, Socratis encomium dicturus, *Silenis* ejusmodi *ſimilem* facit; quòd is multò alius eſſet propiùs intuenti, quàm ſummo habitu ſpeciéq; videretur. Deniq; illa *Satyri* ſtatua (quem *ſemiſopitum*, aut *ſomno torpidum* varia circumflexu facili ambiunt ornamenta) apud *Cardinalem Barbarinum*; hæc verò ſtantis in modum, apud *Marchionem Matthæum*, inter elaborata palatiorum decora, ſervatur diligentiſſimè.


ATA-

ATALANTA *cum* FAVNO.



REferunt fabulæ, Atalantam, Schœnei filiam, virginem Calydoniam, ſemper in venatibus, ſemper in ſylvis, non tumentes uteros fœminarum, faſtidiáque conceptus, ſed expeditam & caſtam amaſſe virtutem. Hæc igitur, virginitatis conſervandæ ſtudio, Dianæ ſe dedit comitem; & unà cum cætera Achajæ nobilitate juvenum in Æoliam, à Meleagro, Oenei Regis filio, ad aprum Calydonium perimendum vocata, prima aprum ſagitta percuſſit: Poſtea quoque eidem Meleagro, à quo ob formæ elegantiam maximè diligebatur, nupſit; & ex eo Parthenopœum ſuſcepit. Hinc Atalanta (monente Car. Stephano) fons in portu Cyphantarum, in ſinu Argolico Achajæ, dictus, quòd ibi venatrix fœmina, æſtu languida, conſederit; & petra, venabulo ejus percuſſa, teſte Pauſania, laticem præbuerit: Apud Stethæum videlicet, Æſculapii fanum; ubi frigidiſſimæ aquæ è ſaxo prorumpentem fontem elicuit. Huic verò cum pellis apri Calydonii pro inſigni victoriæ data fuiſſet à Meleagro, mox ab ægrè ferentibus viris gloriam victoriæ à fœmina ſibi fuiſſe præreptam, lis exorta fuit per avunculos Meleagri; quibus ab ipſo Meleagro cæſis propter illatam injuriam, univerſa vis ultionis converſa eſt demum in Meleagrum. Memoratur item, quod Atalanta ab Hippomene curſu victa fuerit; dum *malis tribus Heſperidum* colligendis retardata fuiſſet, quæ Venus dederat Hippomeni; cùm nuptiæ ejus victori, at mors victis proponeretur: Nam fuit multorum antiquorum jus, uti nuptias virtute comparandas præſtantiũm mulierum proponerent. Sic Antæus, Rex Lybiæ, filiam Alceim, vel (ut alii maluerunt) Barcen victori curſus propoſuit; ſic Danaus filias, ſic Piſander Camirenſis ſorores; ſic Hippodamiam propoſitam ferunt. At quod in templo Magnæ matris, moræ impatiens, nulla habita Deæ reverentia, cum Hippomene victore concubuit, Hippomenes in leonem, ipſa in leænam converſa fuit. Hoc loco Atalanta, etiam, quaſi *curſu effuſo in certamen* fertur; ad quam ſe *Faunus* applicat & adjungit, prope gelidas *fontis* amœnitates, in herba *recumbens*, cum fiſtula ſua; nam *Fauni*, Satyri, & Panes vocati ſunt ab illa *Cicuticines*. Nobile par ſtatuarum, quarum hæc, Romæ, *in horto Mediceo*, illa in *Cardinalis Cæſii viridario* elevata eſt.

RVI-



Joachim de Sandrart delin.

J.J. Sandrart fecit.

Biblioteca Hertziana Max-Planck-Institut
Digital Collection




VOd olim Franc. Petrarcha ſcripſit ad Clementem VI. Pontificem, de ſtatu Vrbis, poſt reverſionem ejus:

--- *Quot ſunt mihi templa, quot arces,*
vulnera ſunt totidem; crebris confuſa ruinis
mœnia relliquias immenſæ & flebilis Vrbis
oſtentant, lacrymasque movent ſpectantibus. ---

Id ipſum, inquam, de vetere Roma, à Gothis Vandalísque capta ac diruta, veriùs dici potuiſſet; quam Alaricus, Gothorum Rex, anno ejusdem conditæ MCLXIV. majore ignominia quàm damno depopulatus, pauca quædam ædificia incendit; &, Placidia abducta, brevi profectus eſt. Mortuo Alarico, rediere Gothi, ad eandem diripiendam, Ataulpho Rege; ſed manus ab ædificiis abſtinuerunt: Tertiò capta eſt Vrbs à Vandalis, quos ex Africa in Italiam, Genſerico Rege, accivit Eudocia Auguſta; ut viri ſui Valentiniani necem, Maximi dolo illatam, ulciſceretur: Quartò Odoacer, Herulorum Rex, Vrbe potitus eſt, ſublato Auguſtulo; poſteà à Theodorico Gothorum Rege ipſe occiſus, qui Vrbem quintùm cepit. Succeſſit bellum Gothicum, in quo defenſa primùm adverſus Vitigem Roma, à Totila deinde expugnata eſt: Quid verò barbarus ille demolitus ſit, conſtat è Procopii libro tertio; nam, ut ibi ait, Totilas Gothorum Rex, cùm cepiſſet urbem, vellétque in Campaniam diſcedere cum exercitu, Romam imprimis dirutam ſolo æquare decrevit; murósq; in partibus multis diruit, incenſurus ædificiorum pulcherrima, niſi literis Beliſarii mitigatus in Campaniam diſceſſiſſet: Sed ad obſidionem altera & tertia vice reverſus, incuria Ducis, & proditione militum eandem denuò cepit. Id nempe jus Fortuna habuit in Vrbem, quam hoc ipſum Ruinæ ſchema exprimere videtur: Si penſiculatiùs æſtimentur ædificia illius digniſſima, & admiranda artificum opera; quæ ab elegantiſſimo *Capitolii deambulacro,* usque ad Imperatorium, *in monte Palatino, palatium,* proſtrata jacent, unà cum illuſtrium ſtatuarum fragmentis, vaſtatione hoſtium deſtructis, vel ab ipſa etiam vetuſtate funditùs everſis atque peſſumdatis; cum ferali iſtac epigraphe:

ROMA QVANTA FVIT, IPSA RVINA DOCET!

R CALCE-






Nter præcipua Græcorum pariter ac Romanorum luxuriantium ornamenta *caligæ* vel *calcei* fuere, quibus Dii Deæq;, Imperatores, Duces, Conſules aliique nudos pedes ſuos, certo modo ac ordine, operiebant, vel potiùs compingebant: Quamobrem potiores, ad hanc doctrinam noſtram attinentes, ſingulari ſtudio Romæ conquiſivi, & ex optimis ſtatuis delineavi; nec præter hæc alia inveni calceamenta, quæ curam laudémque merentur.

In prima igitur hac tabula, *primi pedis* figura ex ſtatua *Cleopatræ* petita eſt; quæ non *ſoleam* tantùm, ſed integumentum etiam, quod plantarum calces (dicente Gellio) infimè plus tegit, ſpectandum exhibet: Superiùs *decora* videmus *vincula*, quorum magis neceſſarius in ſoleis, quàm in calceis, uſus erat. Quo factum, ut apud Virgilium vincula pro ſoleis, libro octavo, uſurpentur:

Et Thyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Pes *alter* ſiniſtrorſum formoſiſſimi cujusdam *Apollinis* fuiſſe fertur, *ſoleæ compedibus* ſubligati: *Tertius* item, in amœniſſimo loco, *Bell-vedere* dicto, Apollinis quoque conſpicitur, & exquiſitiſſimis verbis ab ipſis artificibus laudatur; ob calceatum ſcilicet *ſolearum*, & *viris* interdum absque ulla *muliebris* mollitiei ſuſpicione permiſſum; nec non *habenas corrigiásq;*, quarum beneficio illæ pedibus aptè adſtringebantur: Quæ verò plantæ inferioris idea ſit, *quarta* nos docet *figura*. Sequitur pes *quintus*, quem *Minervæ* vocant; in quo omnes digiti diſtinctè eminent, ſine vinculis conſpicui: *Sextus* ex heroica *Marii*, tot Conſulatibus & triumphis celeberrimi, ſtatua deſumtus fuit, robuſtis ligulis benè munitus uncinatúsque: *Septimus* omni ex parte tectus militantis *Trajani* calceatum denotat, in cujus compage ſpectatur *leonis caput*, Heroum pariter ac Imperatorum geſtamen nobiliſſimum: *Octavus* tandem, & ultimus pes, in priore hac tabula, *Minervam* indicat; cujus imago in atrio Principis Juſtiniani, velut inter ignes minores Luna, extitit, atque effulſit: Integumentis totus ferè evolutus nudatúsque eſt, more Dearum, quibus ſolea familiaris fuit. Sic Prudentius de ipſa Junone, in Apotheoſi:

Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus urbi,
auguſtum caput ante pedes curvare Minervæ,
fictilis, & ſoleas Junonis lambere, &c.






N ſequenti tabula pes *primus Minervæ* audit, reliqui *duo* autem, *dexter* ſcilicet ac *ſiniſter*, ex imagine *Alexandri M.* expreſſi fuere: Intermedius, ſive *quartus*, incomperta res eſt; quo quidem nihil poteſt eſſe concinnius: Quare eundem quoque delineavi, quia per mihi ſcitus videbatur. Pes *quintus* & *ſextus* (ne quid diſſimulem) unus idémque eſt, ex utráque parte à me repræſentatus, ut eò meliùs cognoſci poſſet, qua cura quámque firmiter vincula utrinque colligata fuerint, & ad pedem accommodata; ut Conſul aliquis *Romanus* ſic congruè ſatis ingrederetur. *Poſteriores duo* ferreis quaſi ſquamis circumdati, & globulis ſuperiùs conſtricti ſunt; qui militaris fuiſſe videtur calceatus, quo ductores ipſi, præfecti evocatorum, & tribuni militum commodiùs utebantur. Trajani teſtor columnam, in qua plurimi conſpiciuntur, hoc modo calceati; quos omnis ornatus & elegantiarum contemtores, uſu contentos, tenuis cultus delectabat: Satis enim habebant, nihil de tempeſtatibus, aut vi hoſtium, „conqueri. Hinc eleganter de militis Chriſtiani pro„cinctu Balduinus, in Calceo antiquo: Quos, inquit, ho„mini, hujus vitæ militiam aut viam obeunti calceos tan„dem aſſignabimus? videndum, quid ſit, quod militem „per medias armatorum hoſtium turmas impellat intrepi„dum. Solent enim ideò potiſſimùm calcei pedibus in„duci, ut incedentes intrepidè per vias, ſentibus & vipe„ris infeſtas, gradiantur. Sed in eo non neceſſe eſt, la„borioſiùs inquirendo deſudare; notum enim illud eſt „Livii: *Eò impendi laborem ac periculum, unde emolumentum „& honos ſperetur.* Spes itaque, ſive lucri, ſive honoris & „gloriæ, ſive quietis, ea eſt, quæ efficaces omninò homi„num animis ſubjicit aculeos; quibus incitati, quæcun„que intercurrunt impedimenta, facilè ſuperant; mo„dò tamen, quod appetunt, id aſſequi ſe poſſe confidant. „Atque hoc eſt calceamentum, quo noſtrum militem, „ad iter ineundum, inſtruimus.

GLA-

GLADIATOR CVRRENS.

tt.



The Warburg

D.D. Sandrart. del.

Leon. Heckenauer Sculp.



ùm Pauli Pont. V. temporibus, nepos ejusdem, *Scipio Burgeſius*, celeberrimum & amœnisſimum illud palatium, quod *Vinea Burgeſii* vulgò appellatur, & in altera Academiæ noſtræ parte fig. XXXVII. delineatum conſpicitur, ad culmen perduxiſſet; rariores picturæ, tabulæ, & ſtatuæ marmoreæ accuratiſſima diligentia atq; omni cura conquirebantur: Caſus autem mirificus quidam tunc intervenit, ut Romæ hæc ipſa ſtatua, ex marmore, unà cum variis lapidum fragmentis, defoſſa inveniretur. Concurſabat urbe tota maxima multitudo, confluxerant ad illam ſummi artifices, talium rerum juſti æſtimatores; qui de eadem judicium cenſurámq; facientes, pulchrè aſſeverabant, *Gladiatoris currentis* ſimulacrum eſſe, in modum pugnantium formati: Is enim *ſiniſtra clypeum, dextera haſtam* puram quatit. Opus ipſum Romano artifici libenter teſtimonio eſt, licet alterius manu hinc inde reſtauratum: Quamobrem ſine mora, in eodem palatio, ad artis gloriam, atriíque ornamentum, exaltabatur; ubi hodienum id, velut egregium ſpectaculum, oculis noſtris capeſſimus, &, dum licet, illius imaginem in tabella delineamus; ob eximios actus poſitúsq; membrorum: Haud enim ille laniſta omninò à gladiis receſſiſſe videtur, tanquã ad cædem faciendã conductus Thrax aliquis, & plurimarum palmarũ vetus ac nobilis gladiator; quo nemo fuit in ludo gladiatorio paullò ad facinus audacior. Menſuræ quidem ac muſculis proportio haud abeſt; ſed rudia antiquitatis veſtigia potius ſequi congruum eſſe duxi, quàm artem anxiè ubivis obſervare. De cætero illud deteſtandum (ſi Mercuriali credimus) planè habebant, quod certantes quàm gravius poterant, ſeſe ferire ſtudebant; & non ſolùm (quod ſcripſit Scribonius Largus, qui Tiberii Cæſaris & Meſſalinæ ætate medicinam Romæ exercuit) contuſiones in luctationibus patiebantur; ſed etiam non rarò usque ad alterius, vel amborum pugnantium interitum certamen protendebatur. Quin auctor eſt Gellius in ſeptimo, gladiatori compoſito ad pugnandum pugnam hanc propoſitam ſortem fuiſſe; aut occidere, ſi occupaſſet; aut occumbere, ſi ceſſaſſet. Quare optimus Imp. Antoninus, teſte Dione, edicto cavit, ut gladiatores non acuto ferro, ſed obtuſis gladiis dimicarent; quod hodiè factitant, qui huic arti diſcendæ operam navant.

VE-

VENVS VICTRIX.

V V




J. D. Sandrart del. S. C. M. Leon: Heckenauer sculps.

EX albo marmore insignem hanc *Veneris Victricis* statuam *Justinianus Princeps* in palatio suo posuerat, cujus inibi lineamenta quondam conformavi. Facie eximia, ut prædicatur, Dea, omnibúsq; simulacris emendatior, oculos artificum pascit; & discentibus, in hac ut erudiantur schola, omninò sufficit. Propè ab illius pedibus *labrum* est, vel *concha*, aut *lebes*, quo fœminæ à concubitu se expurgabant; unde Martialis, secundo Epigrammatum:

Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

Sed maximè in balneis subministrabatur vasis argenteis, quæ *lavationem argenteam* Phædrus in fabulis appellat. Porrò *Victricem Venerem* cultam à Romanis legimus, cujus *ædem* Porphyrion fuisse ait *in theatro Pompeji*. Plinius octavo, de elephantis: Pompeji altero Consulatu, dedicatione *templi Veneris Victricis*, pugnavere in Circo XX, aut, ut quidam tradunt, XVII. Superioribus annis, inquit Gyraldus, Romæ effossum fuit marmoris frustum, in quo scriptum erat: VENERI VICTRICI L. ARRONIVS. Vidit idem in vetusto Imp. Numeriani numismate, in cujus tergo erat inscriptio, VENERI VICTRICI. Erat autem imago stolata, quæ *dextra victoriolam* porrigebat, *sinistra* (ceu quidem videbatur) *speculum*; sed alius putabat, *tintinnabulum* esse, ad victoris claritatem significandam. Præterea inter aureos Jul. Cæsaris nummos, quos Carolus Dux Arschotanus collegit, unus Caji Maridiani extat, cum ejusdem Veneris imagine, *dextra victoriolam* quoque, *sinistra* ingentem *clypeum* præferente; infra hunc orbis est, terrarum veluti sub armis Julii, devicto Pompejo succumbens: Fuit enim in prælio Pharsalico Cæsaris tessera, *Venus Victrix*; ut Pompeji, Hercules Invictus, sed ibi malo fato Hercules Veneri impar visus. Extat similis nummus Plaucillæ (quæ Caracallæ conjux) ubi Venus eodem schemate exprimitur, adjuncto Cupidine, cum inscriptione, VENVS VICTRIX. Est & alius Faustinæ, schemate VENERIS Marti abblandientis, meritò VICTRICIS; cui Mars ipse victor (hoc est, maritus Aurelius, in bello Germanico dux) & hostium domitor per pellaciam succumbit. Incomparabilis rei nummariæ Interpres, Ez. Spanhemius, in denario, qui Venerem exhibet anteriori parte, *tropæa* signata, & Κύπριν τροπαιοφόρον à Græcis dictam, solus demonstravit.

COMMODVS.IMP. XX



I.D. Sandrart del.

Leon: Heckenauer sculps.

Bibliotheca Hertziana

HUmanam quaſi ſtaturam ſtatua hæc excedit, *Commodi Imp.* faciem, atq; habitum *Herculis Invicti*, & puſionem (cujus errore periit) brachio lævo geſtantis referens; prout in horto Pontificis, *Belveder*, vel rectiùs *Belvedere* dicto, adhuc ſpectatur. Artus, muſculi, vultus undiq; expletam formam habent; & apicem perfectionis ſummum tenent. Lampridius, in vita *Commodi*, teſtis eſt, hunc accepiſſe ſtatuas *in Herculis habitu*, eíque immolatum eſſe, ut Deo: Ἐν Ἡρακλέους σχήματι ſimulacra memorat Dio, qui præſens vidit omnia: Vix enim credi aliàs poſſit tantus furor. Quia dicitur Hercules (notante Caſaubono) cum monſtris & gigantibus pugnaſſe, & viciſſe; voluit & novus hic *Hercules Romanus* gigantes trucidare: *Clava* non ſolùm leones, in veſte muliebri & *pelle leonina*, ſed etiam multos homines occidit. Debiles pedibus & eos, qui ambulare non poſſent, *in gigantum modum* formavit, ita ut à genibus de pannis & linteis quaſi dracones digererentur; eosdémque ſagittis confecit. Ita gigantes finxit Ovidius, in Faſtis:

Mille manus dedit illis, & pro cruribus angues.

Habuit & hominem ſibi chariſſimum, quem Onon appellabat, & ſacerdotio *Herculis ruſtici* præpoſuerat. Menſes quoque in honorem ejus pro Auguſto *Commodum*, pro Septembri *Herculem*, pro Octobri *Invictum*, pro Novembri *Exuperatorium*, pro Decembri *Amazonium*, ex ſigno ipſius adulatores vocabant: Hæ, inquam, quatuor appellationes tantùm ad *Herculem* reſpexerunt. Hinc quoque appellatus eſt Germanicus, *Idibus Herculeis*; aſſumtus in omnia collegia ſacerdotalia, XIII. *Calendas Invictas*; appellatus Imperator V. *Calendas Exuperatorias*, triumphavit X. *Calendas Amazonias*. Denique non *Herculem*, ſed *Herculeum*, qui erat October, non September, vocat Dio; à quo ſtant & publica Acta: *Nominatus inter Cæſares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas poſtea nominavit.* Ita ergo locum Lampridii concipiendum cenſet Caſaubonus: *Pro Auguſto* COMMODVM, AVGVSTVM *pro Septembri*, HERCVLEVM *pro Octobri*, INVICTVM *pro Novembri*, EXVPERATORIVM *pro Decembri*, AMAZONIVM *pro Januario.* Tantum de Hercule Commodiano.

FINIS.

INDEX STATUARUM,

rerumq; præcipuarum in earum deſcriptione contentarum.

A.

ACHelous ab Hercule ſuperatus, 12
Acis, Fauni & Simæthidis Nymphæ filius, 31
Ægle, Æſculapii filia, 57
Agamemnon cervum Dianæ imprudens occidit, 25
Aglaja, 17
Alagabal, an fuerit Gabalitarum Deus? 2
Albio ab Hercule lapidum imbre perditus, 12
Alceſtis ab Hercule ad virum ab inferis reducta, 12
Alexander M. unà cum Bucephalo, 7
Althæa, 30
Amalthea, 22
Amazones ab Hercule debellatæ, 12
Amnes nudi pinguntur, ſolo *excepto Tago*, 61
Amphion, 49
Amycus, Centaurus, 15
Annæus Seneca, 26
Anteros, 29
Anteus gigas, ab Hercule ſuffocatus, 12
Anteus Rex Lybiæ, 64
Antinous, 5
deliciæ Hadriani, ibid.
refertur à Græcis inter Deos minorum gentium, ibid.
ipſi aſſignatur certa in cœlis ſtatio, ibid.
plura de Antinoo, 50
Antinoopolis unde dicta, 5. 50
Antoninus philoſophus, 43
Antonius, 28
Aper terribilis ab Hercule captus, 12
Apollo, ejus ſtatua, 13. 36
eam mulier Græca diutulè ſpeculata, noviſſimo partu utrumque ſexum edidit, 13
vincit Marſyam tibiis inflandis, 36. 37
multi fuêre Apollines. 36
Arneus, Centaurus, 15
Arria, uxor Pæti, ſeipſam gladio confodit, eundemque dein eximens, viro tradidit, 9. 27
Atalanta Uxor Meleagri, 30
Schœnei filia, 64
ejus ſtatua cum Fauno, 64
Augiæ ſtabulum ab Hercule repurgatum, 12
Auguſti virtus, 1
Aurelius & *L. Verus*, 43. 44

B.

BAccha Bacchans, Juſtiniani Principis ſtatua, 23
Bacchæ quales fœminæ? 23
earum habitus, 23
Bacharach, 60
Bacchus à Sileno educatus, 14
ejus ſacra à mulieribus agebantur, 23
ejus varia nomina, 23
ara, 60
Beliſarius, 32
an fuerit excœcatus, ibid.
Bergio, ab Hercule lapidum imbre perditus, 12
Bona Dea, 56
Bucephalus, Alexandri M. eqvus, 7
Bucephalia Urbs Indiæ, 7

C.

CAcus latro, ab Hercule ſublatus, 12
Calceamenta varia, 66. 67
Camœnæ, 34
Cancer ingens, hydræ opem fert adverſus Herculem, 3
Caroli Ludovici Elect. Palat. encomium, 60
Carmelus Deus, 2
Caumas, Centaurus, 15
Centauri ſtatua, ibid.
quid per Centauros antiqui innuerint, 15
ab Hercule domiti, 12. 15
Ixionis filii, 15
Cerberus ab Hercule ad Superos tractus, 12
Ceres, Dea frugum, 39
Cerva aëripes ab Hercule interfecta, 12

Charites, 17
Chiron centaurus, 15
Chloris florum Dea, 20
Clava Herculis, 11
Cleopatra, 28
Clypeus Minervæ, 19
Cœlum Hercules humeris tulit, 12
Commodus Imperator, 70. ejus ſtatua in horto Pontificis Belveder, ibid. ejus acta & facta, ibid.
Corinna, Pindari Magiſtra, 34
Cornu nigrum *Diabolo* revulſum, 38
Corydon paſtor, 46
Corydus viliſſimum aviculæ genus, 46
Crocodilus Nili ſignum, 58
Cumæ, 22
Cupido, 29. unde ortum traxerit, ib. quomodo ab antiquis pictus, ib. Cupidines plures, 29
Cyclops, 31
Cygnus, Rex Ligurum, in avem ſui nominis mutatus,

D.

DEmophile, 22
Deſultores qui? 24
Deſultorii equi, ib.
Deus Carmelus, 2
Diomedes ab Hercule devincitur, 12
Dionyſus, 23
Dirce, 49. ejus ſtatua, 49
Domitilla Veſpaſiani filia, 24
Dryades, 53

E.

ENdymion à Luna amatus, 52. Lunæ rationem mortalibus oſtendit, ibid.
Ephydriades, 53
Epione Æſculapii Uxor, 57
Equi Deſultorii, 24
Equus & Leo, 48
Equus fuit apud Ægyptios ſymbolum fortitudinis & fiduciæ, 48
Euphroſyne, 17
Eurytus, Centaurus, 15

F.

FAn Gothicè Diabolum ſignificat, 18
Faula, 20
Faunus, Romæ, in palatio Medicéo, 6
Fauni pro Diis ab agreſtibus hominibus colebantur, 6. 35. eos Ovidius vocat equos cornipedes, 6. Pineis ramis coronabantur, ibid. hodie nonnunquam apparentes, ſunt vera Satanæ ludibria, 18
Faunus, Pici Latinorum Regis filius, 6
Fauni duo ex Juſtinia cimeliis, 18
Faunus puerum amplectens, in palatio Medicéo, 35
Faunus cum Nympha, 53
Fe, idolum apud Sinenſes, 2
Flora florum Dea, 20. ejus ſtatua in Palatio Farneſiano, 20. altera in horto principis Juſtiniani, 56. meretrix, 20. ejus ſimulacrum, ibid. ipſi ſupplicari ſolitum, 56.
Floralia, 20
Fones Dii ſylvatici, 18
Franceſca Greca, 13
Fruges. Pro earum ubertate multa Numina invocabantur, 56

G.

GAlatea Nympha marina, 31. ejus nomen ſemper in delitiis Poëtarum erat, 31. unde dicta, ibid.
Germani à Coſmo Hetruriæ Duce magni æſtimati, 41
Gladiator in principis Juſtiniani palatio, 8. currens in palatio Burgeſii, 68
Gladiatores pugnarunt Saturnalibus, 8 legebantur à Servis aut captivis, ibid.
Gratiæ tres, 17. dicuntur Veneri dicatæ, ibid. Veneris & Liberi patris filiæ, ibid. Jovis item & Eurynomes, ibid. Solis & Ægles, ibid.
Gryneus, Centaurus.

H.

HAdrianus Imperator, in deliciis habet Antinoum, 5
Hamadryades, 53
Harpocrates Deus Silentii, 47
Hederâ coronabantur Poëtæ, 34. hujus plantæ vis, 35
Hedyle, mater Hedylogi poëtæ, 34
Hercules, Jovis & Alcmenæ filius, 11 ejus ſtatua in principis Juſtiniani palatio, ibid. à labore quieſcens, in aula palatii Farneſiani, 12
Hercules quot fuerint? 11

Hercules hydram vincens, 3. ingentem cancrum conculcans, ib. ejus insignis corporis proceritas, 11. ejus Clava ex oleastro, ibid. labores, 12
Herculis virtus, 1
Herophile, 22
Hierophile, ibid.
Horeb mons Dei, 2
Hydra vincitur ab Hercule, 3. Quot habuerit capita? ibid. ipsi cancer opem fert, 3
Hygiæa Æsculapii filia, 57. hymnus in ipsius honorem, ibid.

I.

IAcobus Patriarcha, 24
Jaso Æsculapii filia, 57
Ida Mons, 2. 54
Inscriptio ad pedes statuarum Alexandri Magni & Bucephali, 7
Jolaus auriga, 3
Iphigenia Agamemnonis filia, 25. eam Diana in Tauricam regionem transtulit, 25
Jupiter Idæus, 2
Jupiter Olympius, ib.
Jupiter fagitalis, 18

L.

LAcinus latro, ab Hercule sublatus, 12
Laocoon, sacerdos, 4
Latona, 51
Lauro coronabantur poëtæ, 34
Legio fulminatrix, 43
Leo jugulatus ab Hercule, 12
Leo & equus, 48
Leo fuit apud Ægyptios symbolum roboris & virium, 48. præcipuè cor appetit, 48
Lerna lacus, 3. illic hydra ab Hercule vincitur, ibid.
Liber pater, 23
Limniades, 53
Lucius Annæus Seneca, 26
Lucius Verus & Aurelius, 43
Luctatores, 45. eorum exercitatio tres habuit fines, ib.
Luna Endymionem amat, 52
Lycæus, Arcadiæ mons, 2
Lycilas, Centaurus, 15
Lycus adulter ab Hercule interemptus, 12. Thebarum Rex, 49

M.

MAchaon, 57
Mænades, 23
Mala aurea ex Hesperidum hortis ab Hercule sublata. 12
Marcus Antoninus Philosophus, 43. 44
Marphorius, 60
Marsyas ab Apolline tibiis inflandis vincitur & excoriatur, 36. ejus statua, 37
Medon, Centaurus, 15
Medusa. Ejus caput in clypeo Minervæ, 19
Meleager, 30. 64
Menneros, Centaurus, 15
Mercurius omnium Deorum vigilantissimus, 40. ejus simulacrum, ibid. officia, ibid. statuæ præ foribus domorum. ibid. plures fuêre Mercurii, 40
Mimallones, 23
Minervæ statua, in porticu principis Justiniani, 19. ejus clypeus mirificus, ibid.
Minerva & Paris, 54
Mnemosyne, 34
Montes. Ida, 2. Olympus, ib. Horeb. ib. Carmelus, ib. Fe, ib. Quirinalis, 7. Calpe, 12. Abyla, ibid.
Musæ, 34

N.

NAjades, 53
Napeæ, ibid.
Natura & Pan, 42
Nilus, 58. Egyptii ipsi quotannis solenne festum publicè celebrabant, 58. ejus expressio, ibid. Nilus alter, 61. ejus proprietates, ib.
Nympha & Faunus, 53
Nympharum Origo, 53. differentia, ib. vis & efficacia, ibid.

O.

OEneus, 30
Olympus, rerum astronomicarum peritus, 2
Olympus Triphylius mons, 2
Olympus pro cœlo acceptus, ib.
Oratoria, 59
Oreades, 53
Orestes, 25

P.

PÆtus & Arria, 9 27
Pallas. Ejus ſtatua in porticu principis Juſtiniani, 19. clypeus, 19
Panacea, Æſculapii filia, 57
Panchæa Inſula, 2
Pan & Natura, 42. quis fuerit 42. à Cupidine vincitur, 42
Parazonium quid? 1
Paris & Minerva, 54. ejus judicium. 54
Pasquinus quis fuerit? 10. cur nemo usque adhuc ejus ſtatuam deturbare auſus ſit, ibid.
Pholus, Centaurus, 15
Piſenor, Centaurus, ibid.
Podalirius, Æſculapii filius.
Poëſis, 34
Pœnitentia, 47. ejus ſtatua, 47
Polyphemus, Cyclopum Princeps, 31
Pyramides, 58

R.

RHenus, 60
Rhetorica, 59
Rhœtus, Centaurus, 15
Roma, à Gothis Vandalisque diruta, 65 ejus ruina, ibid.
Roſanna, 13
Rotator, 41
Ruina Romæ, 65

S.

SAbina, 21
Sabinorum virgines à Romulo raptæ, 21. pacem faciunt Romanos inter, & Sabinos, 21
Sappho, 34
Satyri ſtatua marmorea Romæ, 38 altera apud Cardinalem Barbarinum, 63. Satyri hodie nonnunquam apparentes, ſunt vera Satanæ ludibria, 18. 38.
Seneca, 26
Sibylla Cumana, 22. Tarquinio Superbo libros obtulit, ibid. quando vixerit, ibid. Cumæa, ibid.
Sibyllæ mulieres Deo plenæ, 33. quot quibusve locis aut temporibus fuerint, 33
Silenus, 14. Bacchum educavit, ibid. ejus ſtatua, 14. à Mida captus, ibid. Bacchi comes. ibid. altera ſtatua. 62. fuit Spiritalis motûs Symbolum, ibid. memorabilia de Silenis, ibid. ſtatua tertia, 63. Sileni hodie nonnunquam apparentes, ſunt vera Satanæ ludibria, 18. unde dicti? 63
Sirenum fabula quid doceat? 25
Sphinx, præteritarum ſimul, ac futurarum rerum imago, 19. Signum Nili, 58
Sterculius primus agrorum ſtercorationem invenit, 35
Storjunkare, Lapporum Deus, 2
Syrinx Nympha, 42

T.

TAgus cur Sexum velet? 61
Tanfana, luci numen vel dominus, 18
Thalia, 17
Thyades, 23
Tibiæ à Minerva ubi inventæ, 37
Trollones; in Suecia & Dania nobiliſſimi, 38
Tyridates, Armeniæ Rex, ſtatuas Romam affert, 7
Tyrrhenus, ab Hercule profligatus, 12

V.

VAſa antiqua, 25
Venus Græca. Ejus ſtatua, 16. unde orta, ib. 51. Venerum quatuor meminit Cicero, 16. ſtatua Veneris in horto Burgeſiorum, 51. Victricis Veneris ſtatua in palatio principis Juſtiniani, 69
Veſpaſianus cum Domitilla, 24
Veſtalis, ibid.
Virgo veſtalis, 55. à Numâ Pompilio inſtituta, ibid. ejus autoritas, officium & ornatus, 55
Virtus Auguſti, 1
Virtus militaris, 1. Herculis, 1
Virtutis encomium, 1

Z,

Zetus, Muſicæ peritiſſimus, 49.

FINIS.